

*Handwritten text on the left side of the cover, possibly a title or inventory note.*

*Handwritten text on the left side of the cover.*

*Handwritten text on the left side of the cover.*

*Handwritten text on the left side of the cover.*

*Handwritten text on the left side of the cover.*

*Handwritten text on the left side of the cover.*

*Blind-tooled text and decorative elements on the front cover, including a central medallion and a rectangular frame containing text.*




007

Ullr. No. 425.

(Concavistius, Ullr.)

Q. IV. 75.



DE ECCLĒ

SIÆ AVTORITATE,  
& de veterum scriptis  
Libellus.

Autore  
Philip. Melanth.

VITEBERGAE  
Excudebat Iosephus Klug,  
Anno M. D. L.

Melancthon, Philipp

# ILLVSTRISSIMO

Principi, Domino Alberto,

Duci Prussie, Marchioni

Brandenburgensi &c.

Philippus Melanthon

S.

D.



STYAGES rex Medorum iratus Harpago Principi, quod non necasset infan-  
tem Cyrum, ut erat imperatum, postea accersit ad se Harpago filium adolescen-  
tem, cumq; maectatum proponit in epulis man-  
dendum patri Harpago. Accumbit miserrimus pater, existimans se honoris causa à Rege ad conuiuium uocatum esse, & tosta nati uiscera dentibus lacerat. Post epulas, cum multa comiter locutus esset tyrannus, tandem crudelitatem suam patefecit, iubet proferri caput, manus & pedes adolescentis. Cumq; agnouisset Harpagus filij membra, interrogat Rex, satim suauiter epulatus sit. Ibi ille, & si ingentem animo dolorem acceperat, tamen in presentia

A 2 iram

## PRÆFATIO

iram repressit, ac placide respondit: Mihi uero placet, quidquid Rex facit. Talem in Ecclesia tyrannidem multis seculis Pontifices & eorum satellites gerunt. Postulant, ut sine discrimine populus omnia decreta, etiam aperte impia, omnes abusus, omnia Monachorum deliramēta comprobet, & tanquam cœlestia oracula suspi-  
ciat.

Et si autem non temere autoritas ueterum labefactanda est, tamen cum de uoluntate Dei, deq; uero cultu, necesse sit tenere certa & firma testimonia diuinitus proposita, nequaquam hæc barbarica seruitus in Ecclesia toleranda est, quæ uetat discerni ueram doctrinam ab adulterina, quæ nefarios abusus confirmat. Inimica est hominum naturæ tyrannis, sed multo inimicior Ecclesiæ, in qua omnes pij assidue excubias agere & in statione esse debent, ne impijs opinionibus obruant Euangelium, seu hi qui præsumunt, seu alij.

Porro quàm multa uicia in Ecclesiam peruasent sine ullis certis autoribus, quæ quidem orta primum ab exemplis obscuris, paulatim

PHILIP. MELANTH.

tim uires acceperunt, qualia sunt, inuocatio Diuorum, multiplex prophanatio mysterij Coenae Domini, nondinatio Missarum, impurus coelibatus, & pleraq; alia. Hæc cum dormitantibus ijs, qui præerant, irrepsert sine decretis Synodorum, sine ulla graui autoritate, nunc tamen summa acerbitate suppliciorum defenduntur, & prætextitur crudelitati studium ritimendæ Ecclesiasticæ autoritatis. Ac multi instructi doctrina & eloquentia, cum uideant Deo bellum inferri, cum fateantur pollui gloriam Dei, deleri piam doctrinam, & dilacerari membra Christi, tamen adplaudunt tyrannis, & impudentius, quàm Harpagus ille, prædicant sibi placere, quidquid agunt pij principes & Pontifices, θεομάχοι παλαμναῖοι, καὶ ἀλάστορες.

Deinde hanc tantam turpitudinem artificiose excusant, fingunt prodesse, ut conseruetur autoritas & ἀξιωματικότης eorum, qui præsunt. Tyrannides seclere & crudelitate retinentur, tantisper scilicet dum durant, non autoritas Ecclesiastica. Indignissimum est autem, præcipue doctis uiris, tanquam satellites esse tyranno

A 3 rum,

## P R A E F A T I O

rum, & quidem Deo bellum inferentium, ac eorum confirmare furorem, & incendere saevitiam. Quid cogitari turpius hac seruitute potest? praesertim in illis, qui ad consilia Regum, qui ad Ecclesiae gubernacula propter eruditionem euehuntur, ut sint religionis verae monstratores & custodes, non ut iniustis dominorum cupiditatibus adulentur. Sed profecto ita est, ut in Tragedia dicitur: Malus est minister regij imperij pudor. Qui tyrannis se adiungunt, eisq; & sententias & linguam addicunt, hi personam suam sine impudentia tueri non possunt.

Cum autem tantis sceleribus nomen Ecclesiae & antiquitatis praetexatur, collegi quaedam de Ecclesia & ueteribus Synodis ac scriptoribus, quae, ut spero, iuuenibus profutura sunt ad iudicandum, ubi testimonia antiquitatis ualeant. Dulce Ecclesiae nomen omnibus pijs esse debet, ut uerae patriae. Et quid est illo uenerabili Concilio augustius, in quo Filius Dei, Dominus noster Iesus Christus praesidet, & habet adiunctum coetum praestantissimorum hominum, inde usq; ab initio mundi, Adae, Enoch, Noe, Sem, Abrahae,



PHILIP. MELANTH.

hæ, Isaac, Iacob, Ioseph, Moysi, Samuelis, Davidis, Elie, Elisei, Esaia, Ezechia, Danielis, Apostolorum, & multorum piorum, quos Deus ornavit admiranda gloria, in docendo & in regendis imperijs, & quorum Doctrinae Christus clarum testimonium impertit. Hunc venerabilem coetum nos maxime venerari decet, quem quidem aduersarij summa contumelia adficiunt, cum eum alligant ad stabiliendam idolatriam, ad confirmandos prodigiosos errores, ad excusanda parricidia & infinitam crudelitatem.

Etsi autem tenuior & breuior est hic Libellus, quàm argumenti amplitudo poscebat, tamen edendum esse duxi, speraviq; auspicius proditurum esse, si Celsitudini tuæ dedicaretur, quia nomen Celsitudinis tuæ propter excellentem uirtutem, pietatem & sapientiam tuam, multis bonis & doctis hominibus in uniuersa Germania merito carissimum est. Nec uero ulla res humana bono & sapienti Principi gratior esse potest, quàm si ueris iudicijs bonorum celebretur, & à bonis diligatur. Bene ualeat Cels. T.

Anno 1539.

A 4

DE EC

# DE ECCLESIA ET DE AVTORITATE uerbi Dei .



ÆP E disputari so-  
let, quantum tribuen-  
dum sit Ecclesie senten-  
tijs, decretis Synodo-  
rum, & Scriptorum di-  
ctis. Etsi enim regulam  
tenemus, ut uerbum  
Dei amplectamur, ta-  
men cum uideantur in Apostolicis scriptis oc-  
currere loci ambigui, disputant aliqui potius  
esse sententias Ecclesie sequendas, quàm scri-  
pta Apostolorum .

Deinde affingunt auctoritatem Ecclesie  
anteferendam esse uerbo Dei, ac posse Eccle-  
siam mutare tradita in uerbo Dei. Citant ad  
has opiniones dictum Augustini: Euangelio  
non crederem, nisi me Ecclesie Catholice com-  
moueret autoritas. Itaq; falso pretextu nomi-  
nis Ecclesie Pontifices decernunt & præci-  
piunt

PHILIP. MELANTH.

piunt multa pro libidine contra uerbum Dei,  
confirmant & stabiliunt impiam doctrinam &  
impios cultus, ac plurimos etiam nunc deterret  
à uera doctrina Euangelij, quam profitemur,  
solum nomen Ecclesie. Ideo necesse est de au-  
toritate Ecclesie recte admoneri homines.

Rursus etiam quædam petulantiora in-  
genia, cum fingunt ex dictis scripture male  
detortis nouas opinionones, prorsus aspernan-  
tur consensum ueræ Ecclesie & omnes Syno-  
dos sine discrimine, ut cum Seruetus rixatur  
cum Ecclesia omnium temporum, & deprauat  
dicta de Verbo, Iohannis primo, & quærit con-  
cinniorem, ut ipse putat, interpretationem. Ut  
igitur talis petulantia coherceatur, aliquo mo-  
do sepius, ut ita dicam, opus est Ecclesie, sicut  
ueteres Synodi & scriptores allegant prima  
testimonia ab Apostolis & certis autoribus ac-  
cepta.

Tertullianus contra Praxeam inquit,  
hanc regulam tenendam esse aduersus omnes  
hereses, Rectum esse, quodcumq; primum est.

A §

adulterinum

## DE ECCLESIA

adulterinum uero, quodcunq; posterius. Et quidem uocat primum, quod Apostoli certo traderunt, sic enim ipse sese interpretatur.

Iræneus contra Florinum allegat auctoritatem superiorum, ac nominatim Polycarpi, qui fuerat auditor Iohannis Apostoli. Inquit enim execraturum fuisse dogmata Florini, si ea audisset, & uitaturum locum, in quo illa dicta essent, tanquam pollutum.

Basiliius allegat nutricem suam, cuius pietatem ait tunc in primis fuisse laudatam, & addit eam accepisse doctrinam à Gregorio Neocesariensi, qui illo tempore eruditione & miraculis claruit, & refutauit Samosatenum, ac reliquit breuem confessionem fidei, quæ continet illustre testimonium de trinitate. Extat autem in libro 7. Ecclesiasticæ historiæ.

Origenes allegat Apostolos de baptismo infantum. Ait enim in cap. 6. ad Romanos, Ecclesias accepisse traditionem ab Apostolis, ut baptizentur infantes. Hi recte allegant auctoritatem Ecclesiæ. Quare ordine dicam, quid sit Ecclesiæ,

PHILIP. MELANTH.

Ecclesia, & q̄ audienda sit, ac probatis testimo-  
nijs utendum, & tamen doctrina iudicanda ex  
uerbo Dei, ut maneat summa autoritas uerbi  
Dei, iuxta illud: Si quis aliud Euangelium do-  
cuerit, anathema sit.

Primum autem, cum nomino Ecclesiam,  
non intelligo Pontifices, Episcopos, & ceteros,  
qui probant ipsorum opiniones, Nam hi sunt ho-  
stes uere Ecclesie, partim Epicurei, partim Ido-  
latræ manifesti, Sed uoco Ecclesiam, coetum ue-  
re credentium, qui habent Euangelium & Sa-  
cramenta, & sanctificatur Spiritu sancto, sicut  
Ephes. 5. describitur Ecclesia, & Iohan. 10.  
Oues meæ uocem meam audiunt.

Etsi autem necesse est, hanc ueram Eccle-  
siam semper durare, quia regnum Christi est  
perpetuum. Et scriptum est: Manebo uobiscum  
usq; ad consummationem seculi, tamen sciend-  
um est, hanc ueram Ecclesiam non semper pa-  
riter florere, sed sæpe admodum exiguum esse,  
ac subinde restitui diuinitus, missis ueris docto-  
ribus, ut Noe tempore fuit angusta Ecclesia, tempore  
& paucorum coetus.

Ita post Noe.

## DE ECCLESIA.

**Abraham** Ita post diluuium retinuit ueram doctrinam Melchisedech, qui fuit Sem, filius Noe, & cum idolatria apud Chaldaeos creuisset, ac pene ubiq; extincta esset uera doctrina, Deus renouat Ecclesiam uocato Abraham. Postea familia Abrahae, & pauci eius auditores sunt Ecclesia, cum interim Chaldaei & Aegyptij gloriarentur se esse posteros patrum, se retinere patrum exempla & cultum, & praedicarent se esse populum Dei, cum uerbum Dei non retinuisent, etiam si caeremonias retinuerant, quibus tamen affinxerant peruersas opiniones, & addiderant idolatriam.

Tempore Achaz fuit in Israel extincta Ecclesia, postea per Eliam & Eliseum rursus aucta est, deinde iterum collapsa est.

**Ecclesia Christo nato &c.** Cum nasceretur Christus, fuit in Iuda admodum exigua Ecclesia, Maria, Ioseph, familia Zachariae, Simeon, Anna, pastores, & pauci alij. Interea regimen Ecclesiasticum fuit penes Phariseos & Sadduceos, qui erant palam impij. Sadducei etiam erant Epicurei, & tamen arrogabant sibi praecipue titulum populi Dei.

Sic

PHILIP. MELANTH.

Sic & tempore Prophetarum exigua fuit uera Ecclesia, Esaiæ primo: Nisi Dominus reliquisset nobis semen, sicut Sodoma & Gomorra facti essemus. Hæc uerba grauissime monent nos, ne de Ecclesia cogitemus, tanquam de mundana politia, ne eam successione Episcoporum, aut gradu & loco Pontificum metiamur, sed apud eos esse statuamus Ecclesiam, qui retinent ueram doctrinam Euangelij. In hoc coetu esse aliquos uere credentes necesse est, Nam ad hunc coetum pertinent promissiones. Ideo Esaias detrahit illum augustum titulum suis principibus & Pontificibus, & inquit, exiguum semen reliquum esse in illo ipso populo, qui uocabatur populus Dei.

Ecclesia  
tempore  
Esaiæ.

Vbi  
& apud  
quos sit  
Ecclesia.

Et Ieremiæ tempore, cum ei reges & sacerdotes aduersarentur, non erat Ecclesia coetus sacerdotum, sed illi, qui credebant concionibus Ieremiæ. Amos 3. Sic liberabitur Israel, ut si pastor duo crura leoni ex faucibus cripiat. Deniq; fuit exigua Ecclesia præ multitudine impiorum, cum omnes gentes præter populum Iuda prorsus amisissent noticiam Dei.

Ecclesia  
tempore  
Ieremiæ.

Prædicat

## DE ECCLESIA.

Prædicit & scriptura futuras post Apostolos Ecclesie clades, Matth. 14. Multi pseudoprophetae surgent, & decipiant multos. Item: Cum uidebitis abominationem desolationis stantem in loco sancto. Hic significat in Ecclesia, quæ sic dicitur, orituram esse idolatriam, qua obruentur uera doctrina & ueri cultus, & fiet Ecclesie uastitas, id est, solitudo seu extinctio. Atq; ita accidit. Postquam abusus Missarum & cultus traditionum orti sunt, secutæ sunt tenebræ de ueris cultibus, de fide, de inuocatione in fide, de officijs uocationis. Quia conscientia intuens in propria merita, non potest remissionem peccatorum intelligere, nec ueram inuocationem & expectationem auxiliij diuini & c.

Item: Facient signa & prodigia, ut, si fieri posset, seducantur etiam electi, 2. Thess. 2. Veniet defectio & c. Luc. 18. Putas, q, ueniens Filius hominis inueniet fidem? Psal. 88. Nunquid uane constituisti filios hominum & c. Est enim quærela de uenturæ Ecclesie ruina. Hæc dicta testantur, etiamsi conseruari Ecclesiam necesse est, tamen præsertim postremo tempore admodum



PHILIP. MELANTH.

admodum exiguam & paucorum coetum esse,  
qui sunt sprete & abiecti in hac uita, sicut in Ecclesia  
quit Paulus: Non multi sapientes, non multi po- postremi  
tentes &c. temporis.

Hæc testimonia eo citauit, ut primum  
cogitetur, quid sit Ecclesia, & abducatur ani-  
mus à carnalibus opinionibus, quæ fingunt Ec-  
clesiam esse pollitiam Pontificum, & alligant  
eam ad ordinariam successionem Episcopo-  
rum, sicut imperia consistunt in ordinaria suc-  
cessione Principum. Sed Ecclesia aliter se ha-  
bet. Est enim coetus non alligatus ad ordina-  
riam successionem, sed ad uerbum Dei. Ibi res  
nascitur Ecclesia, ubi Deus restituit doctrinam,  
& dat Spiritum sanctum. Et hoc modo regi &  
conseruari Ecclesias, non ordinaria successio-  
ne, testatur Paulus Ephe. 4. Dedit dona homi-  
nibus, Apostolos, Prophetas &c. Docet enim  
eam esse proprie Ecclesiam, in qua Christus est  
efficax, & cui dat ueros doctores.

Ecclesia  
uera.

Idco cum obijcitur nobis nomen & auto-  
ritas Ecclesie, primum consideremus, an fiat  
mentio

## DE ECCLESIA.

mentio ueræ Ecclesiæ, an uero coetus Pontificum, & successionis illius & politica, nec nos sinamus à uerbo Dei deterreri falso prætextu nominis Ecclesiæ.

**Ecclesia** uera Ecclesia, iam addendum est, hanc ueram  
**retinet do-** Ecclesiam, quæ est exigua, ac tantum sanctorum  
**ctrinam** rum, retinere ueram doctrinam Euangelij, seu  
**Euangelij** articulos fidei, sicut Paulus eam uocat sedens  
ueritatis. Sed hæc ipsa uera Ecclesia habet do  
ctrinam aliàs magis aliàs minus puram &  
perspicuam. Habet & multa infirma membra,  
ut Apostoli erant Ecclesia, nec tamen intelligebant ante Christi resurrectionem, quale esset futurum regnum Christi. Petrus etiam post datum Spiritum sanctum adhuc imaginabatur cultus legis necessarios esse, sed de coelo admonitus, didicit regnum Christi non esse politicam Iudaicam, sed cultus spirituales, ac perpetuos, Actorum 10.

Postea inchoata prædicatione Apostolorum, lucebat in ipsis doctrina pura & perspicua,

PHILIP. MELANTH.

cua, & tamen interea erant multi infirmi, quæ  
tametsi essent uera membra Ecclesiæ, & tene-  
rent articulos fidei, tamen aliquid addebant er-  
roris, ut qui obseruabant cultus legis, nec satis  
intelligebant abrogationem legis, & ueros cul-  
tus, Hic error non erat leuis, & aliquam cali-  
ginem offundebat articulis fidei. Ita Christus  
prædicit de Ecclesia postremi temporis, futu-  
ras magnas tenebras, quæ etiam electos impe-  
dient, quo minus puram doctrinam habituri  
sint.

Manet igitur aliqua uera Ecclesia, quæ  
retinet articulos fidei, sed interdum minus pu-  
ros, & obscuratos aliquibus incommodis opinio-  
nibus, & habentibus aliquid erroris. Ac lo-  
quor adhuc de ueris Ecclesiæ membris, & San-  
ctis, non de alijs, qui amissa luce uerbi, amittunt  
Spiritus sanctum, & sequuntur rationis iudi-  
cium, & cum putent se admodum pia tradere,  
dicunt aliena & impia, Sicut nunc quoq; multi  
sunt præstantes doctrina, bonis moribus, specie  
pictatis, qui uidentur sibi sanctissima dicere,  
cum procul absint à uera luce, hoc est, à uero  
B intellectus

## DE ECCLESIA

intellectu uerbi Dei. De talibus nondum loquor, uerum adhuc tantum fit mentio de ueris membris Ecclesie, quæ magna ex parte sunt infirma.

Sic igitur inquit Paulus: Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est. Sed alius superædificat aurum, alius lignum, alius stipulas &c. Fundamentum intelligit articulos fidei, hoc est, summam doctrinæ Christianæ, & doctrinam de beneficijs Christi, sed ad hanc, inquit, addent alij utilem doctrinam & explicationem, & ueros cultus spirituales, Hæc uocat aurum. Alij addent stipulas, id est, opiniones incommodas, & aliquid erroris habentes, sicut initio statim conditæ sunt ceremonie, quæ secum traxerunt falsas opiniones.

Vt Ambrosium existimo esse uerum membrum Ecclesie. Is tamen inquit de ieiunio quadragesimæ: Cetera ieiunia sunt uoluntatis, hoc necessitatis est. Hæc opinio est stipula addita doctrinæ fidei.

Basiliius.

Sic Basiliius addidit monasticen, tanquam stipulas.

PHILIP. MELANTH.

stipulas, & laudat hoc genus uitæ immodicis  
& falsis præconijs, cum quidem ab Episcopo  
suo reprehenderetur. Quod autem non sit le-  
ue erratum, instituire novos cultus, sepe monet  
scriptura, & satis significat hæc una sententia:  
Frustra colunt me mandatis hominum. Graue  
peccatum est contra primum præceptum, cul-  
tus non mandatos à Deo instituire, aut appro-  
bare. Nam primum præceptum cum prohibet  
alienos Deos, etiam prohibet alienos cultus.

Cyprianus urget poenas canonicas, quæ Cypria-  
rum tunc erat usus, & confirmat opiniones, nus-  
quasi sint necessaria, & propter eas reuittantur  
peccata, Interdum inquit absolutionem sine  
illis inutilem, esse. Fortasse sentiebat commo-  
dius, quàm locutus est. Tamen illi errores non  
sunt leues, sed admodum densæ stipulæ, obscu-  
rantes puram doctrinam de beneficijs Christi  
& de fide.

Porro sepe Scriptores commodius scripse-  
runt, quàm loquuntur, quia pleriq; fuerunt ad-  
modum in docendo negligentes & improprij,

B 2 & multas

DE ECCLESIA.

Satisfactio.

Et multas sententias ac formulas à uulgo mutuantur, in quibus aliquid inest errorum, Vt nomen satisfactionum sumit Augustinus à uulgo, etiamsi errores de satisfactionibus palam reprehendit. Torquet se in hac sententia interpretanda, Omne peccatum est uoluntarium, ubi disputat de peccato originis, cum tamen sententia sit ciuile dictum, de externis delictis traditum.

Oblatio.

Sic uocant Coenam Domini Oblationem, populi more, cum non sit instituta oblatio, sed Christus ipse fuerit Sacerdos, suum offerens sacrificium. Ac ne fiebat quidem olim in ceremonia Coenae, oblatio corporis et sanguinis, sed ante consecrationem offerebantur panes, et aliae res, et Sacerdos dicebat se offerre preces, gratiarum actionem, et totum cultum, qui ibi fieri solet. Etsi igitur oblatio non uno modo intellecta fuit, tamen postea nomen detortum est ad oblationem corporis, unde secuti sunt in gentes abusus.

Dionysius in eo libro, qui continet ceremonias Ecclesiae, cum ritum Synaxis diligenter describit

PHILIP. MELANTH.

describat, tamen prorsus nullam facit mentionem de oblatione corporis dominici. Nec Canon Basilij continet hanc oblationem. Sed postea dicam plura de Coena Domini. Hæc tantum addidi, ut ostenderem ueteres interdum mutuos esse sermones incommodos à populo, ut fieri solet omnibus ætatibus.

Interdum uincuntur iudicijs & exemplis multitudinis, quæ non est pia, ut trahantur in superstitiones aliqua humana imaginatione, ut in Synodo Nicena, nisi unus Paphnutius obsti-

Paphnutius.

tisset, fuisset approbata sententia illorum, qui uolebant decretum fieri, ut sacerdotes abstinerent à suis uxoribus. Sic Cyprianum & multos alios uicit consuetudo, ut probarent prohibitionem coniugij.

Coelibatus

Item, tota Synodus Nicena consensu multitudinis aut temporis uicta, approbavit canones pœnitentiæ, qui postea pepererunt non tolerandos errores. Magna exempla etiam pios sæpe fallunt, sicut Antonij exemplum multis offudit caliginem. Hactenus dixi de pijs, qui etiam si sunt sancti, tamen plurimi sunt infirmi. Addam nunc de lapsis.

Canones pœnitentiæ.

Antonij exemplum.

B 3 Inter

## DE ECCLESIA.

Interdum pij prorsus labuntur, & amittunt Spiritum sanctum, sicut Origenem iudico prorsus fuisse lapsum, praesertim si affirmavit illos prodigiosos errores, Quod fuerint innumera- biles mundi, Quod Diaboli postremo sint sal- uandi. Tertulianus etiam impie damnat secun- das nuptias, fortassis autem resipuerunt. Multi enim uere lapsi in uita & doctrina, tamen res- sipiscunt. Et saepissime fit, ut sancti uere laban- tur, nec iudicent iuxta uerbum, & spirituales lucem, sed decipiantur imaginatione rationis, qui tamen deinde resipiscunt. Sicut Gedeon prorsus lapsus est, humano consilio instituens cultum.

Ex his omnibus sequitur conclusio, Et si uera Ecclesia, quae est exigua, retinet articulos fidei, tamen illa ipsa uera Ecclesia potest habere errata, obscurantia articulos fidei. Prae- terea multi ita labuntur, ut approbent prorsus impios errores, contra articulos fidei, etiamsi fortassis aliqui resipiscunt.

Primum igitur, cum autoritas Ecclesiae allegatur, querendum est, an fuerit uera Eccle- siae consensus, congruens cum uerbo Dei.

Deinde



PHILIP. MELANTH.

Deinde dicendum est, Scriptores qui exstant, sæpe lapsos esse, & fortassis aliquos nequidem membra Ecclesie esse.

Tertio addendum est aliud discrimen, In illo cœtu, qui uocatur Ecclesia, est ingens multitudo impiorum, quorum plerique antecedunt ceteros autoritate, specie religionis, opinione doctrinae, Quales fuerunt in populo Iuda, tempore Hieremie, Pontifices & sacerdotes impij, qui & ipsi contra Hieremiam allegabant autoritatem sedis ac legis, & promissiones: Non peribit Lex à sacerdotibus, negabant suum cœtum errare posse, cum tamen prorsus errarent, & dissentirent à Hieremia. Item, tempore Christi erant paucissimi pijs, uidelicet, Zacharias & Simeon.

Porro cum impia multitudo dominatur in Ecclesia, constituit nomine Ecclesie multa falsa & impia. Talis multitudo amplexa est applicationem Missarum pro uiuis & mortuis, cultus uotorum & Sanctorum, postea exemplum nocuit pijs. Talis multitudo etiam in Synodo constituit, diuellenda esse coniugia sacer-

Missarum  
applicatio

B 4 dotum.

## DE ECCLESIA.

dotum. Sæpe autem accidit in Ecclesia, ut im-  
pij, excellentes ingenijs, sumant impetus consti-  
tuendi religionem humana sapientia, qui cum  
non moueantur uerbo Dei, sed ducantur ratios-  
nis imaginatione, & quærant concinnas opinio-  
nes, gignunt impia dogmata, sicut Samosatenus,  
Arius, Pelagius. Alij quærent merita, aut quæ-  
runt speciosum regimen, &  $\kappa\upsilon\tau\ \alpha\ \xi\iota\alpha\ \rho$  populi,  
& his causis mouentur ad instituendos & cu-  
mulandos cultus, ut Monachi & Gregorius, &  
hoc tempore Pontifices, Principes, & multi ui-  
ri docti, cupientes constituere Ecclesiam, mo-  
uentur humana sapientia, & omisso uerbo Dei,  
uolunt Ecclesiam iuxta suas imaginationes con-  
stituere, Nec uident esse horribilem impietas-  
tem, discedere à uerbo Dei, quærerere Deum sine  
uerbo, cultus instituere humano arbitrio, sine  
mandato Dei, uera dogmata mutare, & oppri-  
mere puritatem uerbi Dei.

Cum igitur obijcitur autoritas Ecclesie,  
ut de Missarum applicatione, Ecclesia non er-  
rat, Ecclesia tot seculis applicauit missas, Igitur  
mos est seruandus.

Respondens

PHILIP. MELANTH.

Respondendum est ad maiorem: Ecclesia  
uniuersa, quæ est multitudo dominantium in  
Ecclesia, potest errare, sicut errabant Pontifi-  
ces, & sacerdotes, Ieremiæ aut Christi tempo-  
re. Et quanquam præter illam multitudinem  
sunt aliqui pij, qui retinent articulos fidei, ta-  
men hi quoq; moti exemplis assentiuntur qui-  
busdam erroribus. Ita fit, ut articulos fidei mi-  
nus puros retineant, Sicut uidetur Bernhardus  
commodius sensisse, quàm ceteri, & si multis  
erroribus assensit, ut abusui Missarum, potestati  
Pontificiæ, uotis, cultui Sanctorum.

Non igitur multitudinis autoritas alle-  
ganda est contra uerbum Dei, sed redeundum  
ad regulam: Si quis aliud Euangelium docue-  
rit, anathema sit. Prima sit autoritas uerbi di-  
uinitus traditi. Deinde illa est Ecclesia existi-  
manda, quæ cum uerbo illo consentit, ut inquit  
Christus: Oues meæ uocem meam audiunt, &  
Augustinus: Quæstio est, Vbi sit Ecclesia? quid  
ergo facturi sumus? In uerbis nostris eam quæsi-  
turi sumus, an in uerbis capitæ sui, Domini nos-  
tri Iesu Christi? Puto q; in illius uerbis quærere  
debemus

B S

debemus

## DE ECCLESIA

debemus, qui ueritas est, & optime nouit corpus suum.

Sed hic obijcitur: Si repudiatur autoritas Ecclesie, conceditur deinde nimis magna licentia petulantie ingeniorum, nam reiectis Ecclesie sententijs, multi excogitabunt nouas & impias interpretationes scripturæ. Hoc periculum cum non sit contemnendum, & profit illam licentiam coercere, rursus uidendum est, quatenus requirenda sit autoritas Ecclesie. Seruetus enim, cum renouat impium errorem Samosateni, & negat uerbum intelligi personam in hoc dicto: In principio erat uerbum, magnifice prædicat autoritatem scripturæ, iubet hanc anteferri Ecclesie decretis. Deinde callide disputat sermonem simpliciter intelligendum esse. Cum autem uerbum in communi hominum sermone non significet personam, negat apud Iohannem intelligendam esse personam, ut si Demosthenes hoc dictum legeret: In principio erat uerbum, certe non cogitaret intelligi personam aliquam.

Quæro igitur, an aduersus tales non proficit

PHILIP. MELANTH.

fit opponere autoritatem Ecclesie? Hic respon-  
deo: Sicut Euangelium præcipit audiri Eccle-  
siam, ita semper dico, cum cœtum, penes quem  
fuit uerbum Dei, & qui dicitur Ecclesia, au-  
diendum esse, sicut iubemus quoq; audiri no-  
stros Pastores. Audiamus igitur docentem &  
admonentem Ecclesiam, sed non propter auto-  
ritatem Ecclesie credendum est, Nam Ecclesia  
non condit articulos fidei, tantum docet ac ad-  
monet. Verum propter uerbum Dei creden-  
dum est, cum uidelicet admoniti ab Ecclesia,  
intelligimus hanc sententiam uere & sine sos-  
phistica, in uerbo Dei traditam esse.

Fortassis Demosthenes non cogitaret de  
persona, si legeret: In principio erat Verbum.  
Sed auditor admonitus ab Ecclesia, q; uerbum  
significet personam, scilicet Filium Dei, adiuua-  
tur iam ab Ecclesia, docente & admonente, &  
articulum credit non propter Ecclesie autorita-  
tem, sed quia uidet hanc sententiam habere fir-  
ma testimonia in ipsa scriptura, uidet de qua-  
dam persona dici, quæ assumpta humana natu-  
ra in mundo, conuersata est cum hominibus.

Hanc

## DE ECCLESIA.

**Due natu  
re in Chri  
sto.**

Hanc personam uidet appellari λόγος. Colli-  
git testimonia apta & firma de duabus naturis  
in Christo. Scit enim de natura Dei credendum  
esse uoci coelesti, ac summam impietatem esse,  
comminisci opiniones de natura Dei, sine ipsius  
testimonio, 2. Pet. 1. Et Matth. 17. Hunc audite.

**Prima Ec  
clesia.**

Item ualet prima Ecclesia, ut testis Apo-  
stolorum. Loquor autem de dogmatibus, non de  
humanis traditionibus. Nam dogmata uole-  
bant esse firma & perpetua. Ritus humanos  
non uolebant esse perpetuos aut immutabiles.  
Nec errabant Apostoli in doctrina. Ideo pro-  
dest tenere, ubi allegent uetustissimi Scriptores  
auctoritatem Apostolorum.

Vt de Trinitate citant eos Origenes, Ter-  
tullianus, Irenaeus, Gregorius Neocæsariensis,  
Alexander Episcopus Alexandrinus, & alij  
multi, qui cum testentur doctrinam de Trini-  
tate ab Apostolis acceptam esse, ualde confir-  
mant pios. Itaq; talia testimonia non sunt asper-  
nanda.

Dixi

PHILIP. MELANTH.

Dixi autem audiendos esse Scriptores,  
sicut nunc quoque dicimus, audiendos esse Con-  
cionatores, quia aliqui manent in Ecclesia, qui  
retinent ueritatem, alios purius, alios impurius.  
Sed addendum est, ut auditi iudicentur ex uer-  
bo Dei, quod semper manet Regula doctrine.

Exempla:

Augustinus de peccato originali acrius Augustinus  
contendit quam reliqui. Docet igitur et monet.  
net, cumque uideamus eum uere et sine sophisti-  
ca recitare sententiam Scripturae, credimus  
Articulum non propter Augustinum, sed pro-  
pter uerbum Dei, et uidemus idem sentire su-  
periores, etiamsi hunc Articulum non tam co-  
piose aut tam perspicue tractarunt.

Aliud:

Petrus Alexandrinus Episcopus, contra Petrus  
Meletium, contendit lapsos recipiendos esse, et Alexan-  
allegat ueterem autoritatem. Nam haec uerba drinus  
recitat Epiphanius, ut doctrina, quae ad nos usque Episcopus  
peruenit, tradit: Docet igitur et monet Episco-  
pus ille

DE ECCLESIA.

pus ille Alexandrinus, recipiendos esse lapsos.  
Id credimus non propter hunc Episcopum, sed  
quia uidemus hanc sententiam traditam esse in  
uerbo Dei, & accedunt testimonia ueteris Ec-  
clesiæ.

Idem de Synodis dico, Audiendas esse Ec-  
clesiæ Synodos, quæ, cum de uerbo Dei dispu-  
tant, docent & monent nos, sed iudicium acce-  
dat, & cum uera tradunt, credamus propter  
Nicenā. uerbum Dei, Ut Nicena Synodus pie & utiliter  
Synodus. docuit, & admonuit omnem posteritatem de Fi-  
lio Dei, Sed Articulum credimus non propter  
Synodum, sed quia uidemus sic traditum esse in  
uerbo Dei.

Cætera, quæ sunt extra scripturas, non  
sic amplectenda sunt, ut Synodus Nicena con-  
didit Canones pœnitentiæ, qui sunt traditiones  
Canones pœniten- humanæ extra scripturam, & fuerunt semina  
tiæ. multarum superstitiosarum opinionum.

Aenigma Samsonis. Samsonis conuiuæ non poterant interpre-  
tari aenigma in conuiuium propositum, nisi interro-  
rogata eius coniuge. Quare Samson inquit:  
Nisi



PHILIP. MELANTH.

Nisi arassetis vitula mea, non inuenissetis me a  
questionem. Sic circumspiciendum est, ubi sit  
cœtus, qui habet uerbum Dei, & uidendum, qui  
cœtus patrum ac Synodorum sit purior, hoc est,  
minus habens opinionum extra uerbum Dei.  
Hæc Ecclesia docet, monet, testatur. Sed uiden-  
dum est, an ea quæ proponit, habeant firma te-  
stimonia uerbi Dei.

Ac profecto pios sateri decet, Patres bene-  
meritos esse de posteritate, qui acerrimis con-  
tentionibus propugnauerunt, & retinuerunt  
pia dogmata, Id beneficium non est leue ducen-  
dum. Huc pertinet Augustini dictum: Euange-  
lio non crederem, nisi me Ecclesie moueret au-  
toritas. Non sentit Augustinus, maiorem esse  
Ecclesie autoritatem, quam uerbi diuini, aut  
Ecclesiam posse abolere articulos in uerbo Dei  
traditos, Sed sentit Ecclesiam esse doctricem &  
testem. Non crederemus Euangelio, nisi Eccle-  
sia doceret nos, & testaretur, hanc doctrinam  
ab Apostolis traditam esse.

Augustini  
dictum.

Uolet etiam hoc dictum ad refutanda no-

ua

## DE ECCLESIA.

**Nova** *ua dogmata, quæ nunquam in Ecclesia extite-*  
**dogmata.** *runt, Sicut Manichæi noua deliramenta excogitauerunt. Nam dogmata necessaria pietati, necesse est initio extitisse in prædicatione Apostolorum. Ergo noua & prorsus ignota Ecclesie Apostolicæ sunt reijcienda. Sed de dicto Augustini aliàs disputatum est copiosius. Certe non concedit Ecclesie auctoritatem statuendi contra uerbum Dei, aut abolendi articulos in uerbo Dei traditos, aut condendi nouos articulos fidei.*

### Catalogus,

*Aliquot Synodorum & Patrum exempla colligam, ut appareat in illis contineri dissimiles materias, ne sine discrimine omnia omnium dicta, aut omnes Veterum ritus pro necessarijs recipiantur. Sicut inepti quidam ita admirantur antiquitatem, ut omnes ueteres ritus humanos uelint restitui, Perinde, ac si nunc uelint Spartani omnes ueteres ritus suæ Reipublicæ restituere, cum ritus ab hominibus excogitati partim sint uiciosi, partim, etiamsi sunt probabiles, tamen non omnibus temporibus congruant.*

Synodus

PHILIP. MELANTH.

Synodus Neocæsariensis uetat, ne Sacerd<sup>es</sup> Synodus  
dotes accedant ad conuiuia secundarum nuptia Neocæsariensis.  
ne eas uideantur approbare. Tales ridicule constitutiones multæ bonis admixtæ sunt.  
Quare delectus habendus est, nec temere omnibus dictis ueterum applaudendum.

Anno Domini 324. Nicena Synodus Nicena  
à Constantino conuocata est, in qua præfuit Synodus.  
Antiochenus Episcopus Eustathius. In hac Synodo grauissimæ controuersie dogmatum dijudicate sunt, & recte damnati sunt errores Samosatani & Arii, Item Catharorum, qui lapsos  $\kappa\alpha\theta\alpha\rho\iota$ ,  
negabant recipiendos esse, ac negabant eos con postea No  
sequi remissionem peccatorum. uatiani d<sup>i</sup>

Postea politica quædam ordinata sunt, de  
gubernatione Ecclesiarum, ut Alexandrinus  
Episcopus præesset Ecclesijs Orientis, & Ro  
manus Ecclesijs nationum uicinarum. Item, ut  
Episcopi ordinentur à uicinis Episcopis. Hæc  
politica & si sunt utilia, tamen non uolebant ha  
beri pro articulis fidei.

Tertio, Addiderunt quædam ceremonias,  
E  
lias,

## DE ECCLESIA.

**Canones  
pœnitentiæ.** lia, uidelicet Canones pœnitentiæ, ut uocabant, qui initio minus duri erant, & fortasse minus habuerunt superstitionum. Sed postea creuit onus ipsum, & creuit superstitio, & est obscurata gratuita condonatio. Quare in hac re Patres non satis caui fuerunt, Cumq; euentus postea ostendit talibus exemplis superstiones crescere, non ita miremur in hac re Synodum, ut uelimus illos Canones aut approbare, aut restituere. Nec propterea dissentimus à ueteri Ecclesia, retinemus articulos Synodi de dogmatibus, quæ proprie ad Ecclesiam pertinent. Cætera, quæ sunt extra uel contra uerbum Dei, non pertinent ad Ecclesiam.

Anno Domini 383. Constantinopolitana Synodus à Theodosio cōuocata est, in qua prænopolitana fuit Episcopus Constantinopolitanus, controuersia Synodica grauis dijudicata est de Spiritu sancto, quod sit persona procedens à Patre & Filio, & sit uerus Deus, & recte damnati sunt Eunomius & alij, qui contrarium senserant. Sunt & politica quedam ordinata, ne Episcopi in alienis Diocessibus aliquid administrarent.

ANNO

PHILIP. MELANTH.

Anno 433. Ephesina Synodus conuoca Ephesina  
ta est à iuniore Theodosio, in qua præfuit Cy<sup>rus</sup> Synodus  
ryllus Alexandrinus. Hæc Synodus recte dam<sup>na</sup> damnauit  
nauit Nestorium, qui negabat in Christo unitum Nestoriū.  
esse uerbum humane nature, substantiali unio<sup>ne</sup>  
ne, sed tantum adesse uerbum, & inhabitare in  
humana natura, uelut hospitem in domicilio, ut  
ibi esset efficax.

Hæc fuit magni momenti controuersia.  
Nam in Christo uere & substantialiter unite  
sunt due nature, Nec uerum est, humanam na  
turam solam esse Christum, ac domicilium esse  
uerbi assistentis. Inde urserunt pij has formas  
loquendi de unitate personæ, Deum esse natum,  
passum &c. Etsi autem Nestorius negabat se  
cum Samosateno sentire, tamen suspicor eum re  
ipsa idem sensisse, sed in speciem aliter propo  
suisse uetus delirium inuolucris tectum.

Anno 452. Chalcedonensis Synodus Chalcedo  
conuocata est à Martiano Imperatore, in qua nensis Sy<sup>nodus</sup>  
recte damnatus est Eutyches, qui negauit etiam nodus dā<sup>re</sup>  
duas naturas in Christo, ac contendit ipsam uer nauit Eu<sup>er</sup>  
bi naturam diuinitus missam, editam esse per tychen.

C 2 uirginem,

DE ECCLESIA.

uirginem, nec duas esse naturas unitas, Videtur & hic renouasse delirium Samosateni, sed alio inuolucro propositum. Hoc iudicium Synodi laudandum est.

Ceterum creuerant iam in Ecclesia humane traditiones, Ideo aliquas addidit hæc Synodus uiciosas constitutiones, non de dogmatibus, sed de cæremonijs & cultibus extra scripturam, & tamen adhuc sunt uerecundiores hæ constitutiones, quàm aliæ postea natæ. In hac Synodo primum facta est constitutio, quæ prohibet nuptias Monachis & uirginibus, quæ uotatio nuptia fecerunt, & excommunicat tales contrahentes, quan connubia, quanquam addit mitigationem, possedo primū & hoc concedi iudicio Episcopi facta est.

Verum multa politica utiliter tunc constituta sunt, ne Episcopi ipsi tenerent administrationem facultatum Ecclesiasticarū, sed ut Ecclesiis haberent Oeconomos, Ne quis plura ministeria teneret. Item, ne quis sine ministerio ordinaretur. Item, ut in singulis prouincijs Episcopi quotannis conueniant, & Synodos habeant de presentibus Ecclesie controuersijs.

Nec

PHILIP. MELANTH.

Hæc utilia decreta Synodorum aduersarij dissimulant, ac interim alia leuiora profecerunt, ut uideantur nobis opponere ueteris Ecclesie autoritatem.

Fuerunt interim & aliæ Synodi, seu prouinciales, seu frequentiores, in quibus conuenerunt uicinarum prouinciarum Episcopi. Talis fuit Synodus Antiochena ante Niceam, conuocata aduersus Samosatenum, quæ pie & recte damnauit Samosateni impietatem. Talis item fuit Synodus Gangrensis in Galatia uetus & pura, habet optima decreta contra superstitiones de coniugio, de cibis, de monachatu. Et apparet, hanc Synodum conuenisse propter Montanum, Martionem, & similes, qui illas superstitiones ualde auxerunt.

Secutæ sunt aliæ posteriores, ut Anchirana, quæ habet hanc constitutionem memorabilem, si diaconi in ordinatione non promiserint se uicturos coelibes, retinendi sunt in ministerijs, etiam si postea ducunt uxores, sed si promiserint, & postea tamen duxerint uxores, remouendi sunt à ministerio. Habet & alios Canones de annis poenitentiae periculosos & superstitiosos.

Synodus  
Antioche  
na dam  
nauit Sa  
mosateni  
impietate.

Montanus  
Martion.

Anchirana  
Syno  
dus.

DE ECCLESIA.

**Laodice** = Laodicensis recte damnat Nouatianos, sed  
na Syno = errat taxans digamos etiam laicos, iubet eos  
dus dam = prius puniri, quam admittantur ad communio-  
nauit No nem, prohibet etiam baptismum post duas septi-  
uatiános. manas quadragesimæ. Cætera politica sunt ho-  
nesta, ut cum prohibet nuptias cum hæreticis.  
Hæc Synodus non longo interuallo secuta est  
Nicenam.

**Toletana** Sub Honorio Imperatore fuit Toletana  
Synodus. prima Synodus, quæ continet multa capita uti-  
lia de doctrina. Nam pie recenset articulos de  
diuinitate & naturis Christi, & alios quosdam.  
Postea quædam attexit politica, & cæremon-  
nias de chrismate, & de uotis. Hæc Synodus  
prohibet Diaconos euehi ad munus presbyteri,  
si non abstineant à legitimis uxoribus. Item,  
excommunicat parentes, qui filias uotis obliga-  
tas, si nubant, parentum affectu complectantur.  
item, ipsas nuptas non admittit ad communio-  
nem, nisi discedentes à maritis.

**Synodus** Carthaginensis quinta, anno 438. hæc  
Carthag. bita, prohibet Episcopis, Presbyteris & Diaco-  
prohibuit nis consuetudinem legitimarum coniugum, Ita  
paulatim



PHILIP. MELANTH.

Paulatim cumulata est prohibitio. Antea Diaconis concessa erat consuetudo cum uxoribus, tum conis ut testatur Anchyra Synodus. Postea secuta gium. est prohibitio. Et hæ constitutiones de cœlibatu, subinde in omnibus Synodis repetuntur, & Toletana adduntur acerbiores poenæ, sicut quædam Toletana Synodus constituit, ut facultates mulierum uendantur, si redeant ad uiros.

Porro hæc Carthaginensis Synodus continet & aliam memorabilem constitutionem, de sacellis, de aris Sanctorum, ubi non sunt corpora eorum condita. Has aras & sacella iubet Episcopos demoliri, aut si metuant tumultus, iubeat eos in concionibus populum dehortari, ne ad illa loca accedant. Apparet aliquos crescentem superstitionem in cultu Sanctorum uoluisse prohibere.

Synodus Carthaginensis anni 457. egit de prouocatione Episcoporum. Romanus Pontifex postulauit, ut concederetur prouocatio, ubicunq; aliquis ad Romanum prouocasset. Idq; ut obtineret, commisit falsum, citauit commentitium decretum, quod affirmabat in eam  
C. 4 sententiam

Prouocatio  
Episcoporum.

## DE ECCLESIA.

sententiam editum esse in Nicena Synodo. Postea ex Constantinopoli petitis exemplis deprehensa est uanitas, & repudiata petitio Romani Pontificis. Huic Synodo interfuit Augustinus. Talibus artificijs Romani Pontifices uiam sibi ad primatum struxerunt. Hoc exemplum monet, ne ita miremur antiquitatem, ut eam omnibus uicijs liberemus.

**Precatio** Carthaginensis quarta, decretum continet de precatioe & oblatione pro mortuis. **& oblatio pro mortuis.** his uerbis: Pœnitentes, qui diligenter seruarunt Canones pœnitentiæ, si casu moriantur ante communionem, commendetur eorum memoria precationibus & oblationibus. Illa ætas nondum habebat priuatas Missas, sed tamen paulatim superstitio creuerat. Hic Canon non recipit mortuos, nisi diligenter seruatis ritibus pœnitentiæ. Item, addit morem de oblationibus.

Tractauit causam grauissimam Synodus Mileuitana, cui interfuit Augustinus, & recte defendit piam doctrinam de peccato originali, de gratia & de iustificati one. Habet & politica

PHILIP. MELANTH.

tica quædam, in quibus hæc sunt memorabilia.  
Vetat prouocationem ad transmarinos Episco-  
pos. Hoc decretum nunc ne Romanus quidem  
Pontifex reciperet. Vetat item ab Imperatore  
peti Iudices non Episcopos. Id illis temporibus  
congruebat, nunc esset durum. De diuortio  
etiam sanxit, ne persona innocens rursus con-  
trahat matrimonium, & addit petendum esse,  
ut Imperator legem in eam sententiam ferat.  
Id quoq; durius est. Nam Romæ Fabiola con-  
traxit aliud connubium, ut apparet ex Hierony-  
mo.

Ea Synodus confirmat & superstitionem  
de uotis, concedit uelari uirgines ante uigesim-  
um quintum annum contra ueteres Canones.  
Quanquam igitur de doctrina tolerabiliter  
pronunciauit, tamen postea accedunt aliquæ sti-  
pule & superstitiosæ cõstitutiones. Quare non  
omnia Synodorũ decreta sine delectu probanda  
sunt, & tamen fatendum est, pias Synodos be-  
ne meritas esse, quia aliquos doctrinæ Christia-  
næ articulos conseruauerunt, & de his pros-  
dest tenere Synodorum & antiquitatis testimo-  
nium.

## DE ECCLESIASTICIS Scriptoribus uetustis.



**I** quoque bene meriti sunt, praesertim quatenus sunt testes ueteris et primae Ecclesiae Apostolorum. Confirmant enim nos suo testimonio, De Trinitate, De naturis in Christo, De Baptismo infantum, De usu Cænae Domini, De ordinatione ministrorum, De coniugio ministrorum, De usu indifferentium, De poenitentia lapsorum. De his articulis omnibus citantur memorabilia exempla Apostolorum, quae nobis patrocinantur.

Cæterum Scriptores alij in alijs materijs fuerunt diligentiores, et, ut est humanum, saepe inconsiderate effundunt absurdas et falsas sententias, quas admoniti, haud dubie fuerant correcturi. Sæpe cum non male sentirent, tamen non satis perspicue dicere potuerunt, quod uolebant. Sæpe propter temporum consuetudinem praesentes traditiones durius defenderunt. Aliquas etiam falsas opiniones interdum habuerunt.

PHILIP. MELANTH.

runt. Quare non sunt sine delectu omnia Patrum scripta probanda, & sæpe ipsi inter sese pugnant, nec raro est dissentire aliquem à se ipso. Quare iudicium esse debet penes Apostolicam scripturam. Sed subijcio exempla.

De Origene.

Origenes citans Apostolorum & ueterum Ecclesiarum exempla & sententias, est testis utilis posteritati de aliquot articulis, De Trinitate, De duabus naturis in Christo, De baptismo infantum, De peccato originali, De usu Cœnæ Domini, & de alijs quibusdam.

Ceterum miscuit suis scriptis multas falsas & absurdas sententias, quarum aliquas etiam ipsius ætas improbavit. Fingit ante hunc mundum fuisse plures mundos, Fingit diabolorum & damnatorum pœnas cessaturas esse. Hæc ipsius ætas etiam reprehendit.

Errores  
Origenis.

In Rom. tractans hanc propositionem, Fide iustificamur, non ex operibus, intelligit eam κατὰ συνείδησιν, fide sumus iusti, id est, perfecta fide complectente omnes uirtutes, Idq; declarat

## DE ECCLESIA.

declarat, dicit idem posse dici de cæteris uirtutibus. Misericordia sumus iusti, scilicet perfecta, complectente cæteras uirtutes. Hoc nihil aliud est dicere, quàm homines propter opera & propter uirtutes suas habere remissionem peccatorum, & iustos esse, Cumq; non attendant, quid agat Paulus, quid uocet fidem, quid sibi uelit illa exclusiua, Non ex operibus, addit enarrationes confusas & perplexas, nec sibi constat.

Interdum enim effundit aliquod tolerabile dictum, sed id postea mox corrumpit, quale illud est Rom. 4. Initium iustificationis à Deo est fides, quæ credit in iustificantem, & hæc fides, cum iustificata fuerit, tanquam radix imbre suscepto, hæret in animæ solo, ut cum per legem Dei excoli ceperit, surgant in eo rami, qui fructus operum ferant, Non ergo ex operibus radix iusticiæ, sed ex radice fructus operum crescit, illa scilicet radice iusticiæ, qua Deus acceptam fert iusticiam sine operibus.

In 5. Cap. Vbi est gloriatio tua? Videtur iam propior esse Paulinæ sententiæ, admittit  
exclus

PHILIP. MELANTH.

exclusiuam, homines sola fide iustificari, & allegat Latronem in cruce, & Mulierem apud Lucam, Fides tua saluam te fecit. Sed postea declarans illa, uidetur hoc uelle, hominem initio consequi remissionem peccatorum sola fide, Postea iustum esse ceteris uirtutibus, sicut ipse postea inquit: Fides reputatur ad iusticiam ei, qui conuertitur, sed postea iusticia reputatur ad iusticiam. Porro mira uarietas & perplexitas est enarrationis, etiamsi largitur hominem initio sola fide consequi remissionem peccatorum, tamen si postea imaginatur conuersos sine peccato esse propter ceteras uirtutes, dissentit à Paulo & à reliquis scripturis diuinis, iuxta illud: Non iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens. Item: Si dixerimus, q̄ peccatum non habeamus &c.

In Cap. 7. clare dicit, Sanctos representare alienam personam, cum sibi tribuunt peccatum, ut apud Daniele: Non in iustificationibus nostris, sed in misericordia tua exaudies nos. Tales sententias corrumpit, & docet fiduciam proprie iusticiæ, uel desperationem. Cap. 3. inquit: Sine lege manifestata est iusticia Dei, id est, sine lege

## DE ECCLESIA.

ne lege naturali sunt traditæ nouæ leges Euāge-  
lica, ut illa: Nesciat dextra quid faciat sinistra,  
Hæc, inquit, lex erat ante ignota. Item: Lex  
est spiritualis, intelligit tantum de allegoria, id  
est, cæremoniæ habent allegoriam, & sæpe in-  
commode spiritum intelligit, non de Spiritus  
sancti motibus, sed tantum de interpretatione  
uel cogitatione allegorica.

Cap. 8. Quod erat impossibile legi, quia  
infirmabatur per carnem, Transfert carnem  
ad legem, Caro legis erat infirma, id est, cære-  
monia erant impossibiles, inutiles &c. At Pau-  
lus carnem intelligit naturam hominis, Lex in-  
firmabatur per carnem, id est, non poterat fieri  
ab humana natura. Hi loci ostendunt Orige-  
nem currere extra uiam, nec attendere quid  
agat Paulus.

Possent multa leuia colligere, ut cum Pe-  
trum ait excellere cæteris, quia ei dicitur nume-  
ro plurali: Erit solutum in cœlis, Ad totum cœ-  
tum Apostolorum dicitur numero singulari:  
Erit solutum in cœlo. Sed hæc futilia omitto.  
Cæterum eruditis & iudicium adhibentibus  
prodest



## PHILIP. MELANTH.

prodest uetera scripta legere, primum propter  
historica testimonia, deinde, quia illorum colla-  
tio acuit & exercet studiosos. Ita proderit &  
Origenis lectio, ijs, qui antea recte instituti  
sunt, & summam Christianæ doctrinæ tenent.

### De Dionysio.

Vnus est Libellus Dionysij de Ecclesiasti-  
ca Ierarchia, qui propter historiam est uilis.  
Ceteri continent ociosas speculationes. Illic au-  
tem traduntur ceremoniæ Sacramentorum,  
& ritus Ecclesiæ, & apparet mediocres adhuc  
fuisse ceremonias illo tempore. Præcipue au-  
tem ritus Missæ ibi considerandi sunt, ut appa-  
reat recentiores in Ecclesia Papæ procul re-  
cessisse à ueteri forma. Psalmi quidam & les-  
tiones ex Euangelio recitabantur, dicebantur  
preces pro Ecclesia & Republica. Postea  
Presbyter stans ad Aram, recitabat uerba Chri-  
sti de Cœna Domini. Deinde distribuebat popu-  
lo Sacramentum. Sequebatur gratiarum actio.  
Hic fuit ritus Missæ, unde manifestum est,  
Missam tantum fuisse communionem, nec fuisse  
ullas priuatas Missas. Quin & illud mirandum  
est,

## DE ECCLESIA.

est, q̄ nec mentio fit oblationis, ne ritum quidem recenset offerentis. Hæc apud Dionysium præcipue prodest obseruare, ut antiquitatem opponamus ijs, qui defendunt abusus Missarum.

Recenset baptismum, chrisma, communionem, ut dixi, ordinationem presbyterorum, & eorum, qui uota faciebant, & unctionem mortuorum, ubi narrat, quales fuerint ceremonie funerum, cum cadauer in templo collocatum esset, præsentem populo recitabantur aliquæ lectiones ex sacris literis de resurrectione, Deinde iuebatur populus gratias agere in precibus, q̄ hic pie decessisset in agnitione Euangelij. Addebatur adhortatio, ut sibi quisq; precaretur pium exitum ex hac uita. Hic mos fuit plenus pietatis, & laude dignus. Quæ enim possunt maiora beneficia cogitari, quàm in illo ingenti agone retinere Christi agnitionem, adiuuari à Christo & saluari. Hanc ceremoniam meliorem recentior ætas prorsus aboleuit retentis & cumulatis deterioribus.

Addit autem Dionysius, post hanc adhortationem abijisse presbyterum, & perfudisse oleo

PHILIP. MELANTH.

oleo cadauer, & precatum esse, ut Deus ei con-  
donaret infirmitatem, quæ in eo reliqua fuisset  
post conuersionem. Postea cadauer condeba-  
tur in terram. Hæ tantum funerum fuerunt cæ-  
remonie tunc quidem, nondum in Missa fiebat  
defunctorum mentio, Multo minus offerebatur  
corpus Domini pro mortuis. Hanc prophana-  
tionem sacramenti posterior ætas addidit.

Haftenus de Dionysio, in quo etsi cæremo-  
nie aliquãto minus uiciosæ sunt, tamen sunt ini-  
tia Monachatus, & hoc graui reprehensione  
dignum est, q̄ non discernit inter Sacramenta  
diuinitus instituta, & humanas traditiones. De  
Chrysmate perinde loquitur ut de baptismo, &  
æquat  $\omega\alpha\epsilon\epsilon\gamma\alpha$   $\epsilon\gamma\omega\iota\epsilon$ , ut ita dicam. Mona-  
chorum ordinationem etiam antefert ordinatio-  
ni ministrorum, quod est ualde uituperandum,  
cum ordinatio ministrorum pertineat ad prædi-  
cationem Euangelij. Illa uero Monachorum or-  
dinatio sit superstitiosa, & tantum fiat propter  
cultum prohibitum, iuxta illud: Frustra colunt  
me mandatis hominum. Et tamen ibi Monacha-  
tus uocatur perfectio. Ergo ualeant eius testis

D monia,

## DE ECCLESIA.

monia, quod ad historiam attinet, ut sciamus, qui ritus tunc fuerint usitati, non fiant dogmata aut leges ex eius descriptionibus.

## De Tertulliano.

Tertullianus recte confutavit Martionem & reliquos eius factionis hæreticos. Continet utilia testimonia de Trinitate, recitans non suam sententiam, sed ueterem acceptam ab Apostolis. Aduersus Praxeam extat luculentum testimonium de uerbo, hoc est, de Filio Dei, q̄ sit persona, etiam antequam adsumpsit humanam naturam.

Cæterum & ueteres reprehendunt quædam eius errata, uidelicet, q̄ secundas nuptias damnat, & ridicule argumentatur: Non licet fratris mortui uxorem ducere, Ducens uiduam relictam à Christiano, ducit fratris mortui uxorem, Ergo non recte facit.

Ludit etiam de Regno Sanctorum, quod fingeant duraturum esse mille annos in hac corporali uita, ante mundi conflagrationem  
& ante

PHILIP. MELANTH.

Et ante ultimum iudicium, paulatim alijs citius, alijs tardius resurgentibus. Hoc Iudaicum deliramentum prorsus explodendum est ex Ecclesia.

In libello de corona militis multa dicit de ritibus humanis, et durissime declamitat de consuetudine, habendam eam esse pro lege. His dictis in Ecclesia male detortis, ut fit, confirmarentur ingētes errores omnibus aetatibus, quia nunquam tanta est uigilantia hominum, ut non obrepant aliquæ uiciosæ consuetudines.

Recenset autem Tertullianus admodum pueriles mores, ne post Baptismum primis septem diebus catur in balneum. Item, ut baptizatis præbeatur gustandum lac et mel. Ibi inquit etiam: Oblationes pro defunctis, pro natalitijs, annua die facimus. Id nunc impie detorquent aduersarij nostri ad Missas pro mortuis, Cur natales omittunt, si tantum tribuunt autoritati Tertulliani? Sed ille non loquitur de Coena Domini. Verum in diebus natalibus et funerum adferrebantur in templa cibi, et alia munera pauperibus.

D 2 Hec

## DE ECCLESIA.

Hæc uocabant oblationes & ἀγῶναι, & mos erat ab ethnicis acceptus, sed nonnihil correctus. Nam Ethnici dabant epulas etiam in templis, in natalibus & funeribus, ac postea Nicæna Synodus & aliæ prohibuerunt hanc pompam natalium.

Ergo ut de cæteris dictum est, testimonia historica in Tertuliano profunt, ubi commemorat, quid senserit prior Ecclesia. Sed eius enarrationes & disputationes non recipiantur tanquam dogmata, nisi quatenus consentiunt cum Apostolica scriptura.

## De Cypriano.

Cyprianus uixit circiter annum Domini CC. LX. Continet utilia testimonia, De Trinitate, De baptismo paruulorum, De usu Cœnæ Domini, & de forma electionis Episcoporum, quos scribit electos esse à cœtu Ecclesiæ, & eam electionem comprobatam esse adhibitis aliquibus uicinis Episcopis.

Sed ueteres etiam taxarunt Cyprianum, quod  
sentie

PHILIP. MELANTH.

sentit baptizatos ab Hæreticis rursus baptizandos esse. Effundit inter declamandum interdum absurdas sententias, cum exaggerat immoderatis hyperbolicis causam, quam instituit, Ut de pœnis Canonicis admodum duriter scribit, ait non ualere absolutionem, nisi illæ pœnæ fuerint persolutæ, Hoc dictum quantum habeat incommodi, non est obscurum.

Vehementer etiam declamitat de coelibatu, & si eum quidem locum mitigat, iubet contrahere coniugia illos ipsos, qui uota fecerant, si non seruent promissum. In libello de elemosyna inquit, peccata ante baptismum commissa remitti propter Christi passionem, sed post baptismum quærendam esse remissionem per elemosynas. Idem repetit de lapsis, consumptum esse beneficium Christi in baptismo, postea per elemosynas quærendam esse remissionem. Hæc sunt plena absurditatis, quæ admonitus haud dubie correxisset, Non igitur dicta ipsius omnia pro dogmatibus habenda sunt.

De Cœna domini solet uti uerbis oblationis & sacrificij, sicut cæteri, qui dicunt pro-

## DE ECCLESIA.

miscue: Offerimus orationes, Offerimus panem, unum, Offerimus corpus & sanguinem christi, Nam id quoq; reperitur apud Cyprianum. Hinc aduersarij nostri sumunt testimonia, ad defendendam prophanationem Coenae Domini in Missa priuata &c.

Magna uis est consuetudinis, & hanc sequentes saepe improprie loquuntur homines, Ut nunc Missam dicimus, cum nulli nota sit nominis etymologia. Ita ueteres retinuerunt uocabula oblationis & sacrificij, non admodum curantes etymologiam, aut propriam significationem. Et quia uidit Augustinus aliqui in his appellationibus esse incommodi, ipse leniit, Sacrificium inquit dici pro memoria sacrificij, & oblationem pro memoria oblationis. Haec sunt metonymiae, ut dicimus, Pascha pro memoria, seu signo transitus. Sed nolo argute uel interpretari uel excusare locutionem usitatam illius temporis. Sic enim populus loquebatur, qui interdum recipit impropriam uocem.

Irenaeus clare dicit hanc oblationem esse gratiarum actionem. Idem sentiebant caeteri, ut testas



PHILIP. MELANTH.

testatur nomen Eucharistiae, Quare senserunt esse ceremoniam, qua aguntur gratiae. Id nihil habet incommodi. Accipimus enim, ut admoneamur beneficii nobis donati à Christo, & fidem exuscitemus, deinde agamus gratias pro eo beneficio, nec inde sequitur, id opus pro alijs faciendum esse, alijs applicandum esse &c. Hæc monstra ne quidem cogitarunt Patres. Ergo cum legimus nomen sacrificij & oblationis, intelligamus aut signum sacrificij & oblationis, aut gratiarum actionem, non affingamus applicationem pro alijs.

Interdum uno nomine uocant oblationem, totum illud negocium, quod ibi agitur, uis delictet, orationes & Cœnam Domini. Hoc cum fit, orationes intelligantur esse oblationes.

Leguntur etiam apud Cyprianum de mortuis quædam uerba, qua recentiores male detorquent, Sacrificia pro eis offerimus, sed hæc dicit de Martyribus. Horum enim fiebat mentio in precationibus, cum agerentur gratiæ Deo, q̄ illos adiuuisset. Sicut Græcus Canon di-

D 4 cit:

## DE ECCLESIA

*Tit: Offerimus pro Patriarchis, Prophetis, Apostolis, id est, agimus gratias, q̄ Ecclesiam inde usq; ab initio tibi elegisti, redemisti, sanctificasti &c. Hæc fuit initio sententia horum uerborum, non petebatur, ut mortuis Deus relaxet pœnas. Postea accesserunt tempore malæ opinionones, & partim uerba priora mutata sunt, partim retenta forma ueterum uerborum aliud intellexit posteritas, quàm priores intellexerant.*

*Ergo testimonia antiquitatis non patrocinantur recentioribus abusibus, quæ partim aliena sunt à presentibus moribus, partim si quid habent uicij, non debent opponi firmis testimonijs scripturæ, quia etiam reliquæ ætates habuerunt sua incommoda. Hæc simplicissime sine sophistica respondeo ad uerba oblationis & sacrificij.*

### De Basilio.

*In Basilio extant utilia testimonia, De Trinitate, & de pœnitentia, contra Nouatum. In concione de humilitate tradit egregiam sententiam de iusticia fidei, quæ nobis aperte*

PHILIP. MELANTH.

aperte patrocinator. Sine ulla sophistica detrabit iustificationem bonis operibus, nec loquitur de ceremonialibus, sed de omnibus uirtutibus, nec tantum loquitur de operibus ante renouationem, sed de uirtutibus in renouatis, ac iubet sentire, q̄ sola fiducia misericordiæ propter Christum promissæ iusti simus.

Verba eius hæc sunt:

Dicit autem Apostolus: Qui gloriatur, in Domino gloriatur, dicens, q̄ Christus nobis factus sit sapientia à Deo, iusticia, sanctificatio, & redemptio, ut sicut scriptum est, gloriaturus in Domino gloriatur. Hæc est enim perfecta & integra gloriatio in Deo, quando ne quidem propter iusticiam suam aliquis effertur, sed agnoscit sibi deesse ueram iusticiam, fide autem sola in Christum iustificari, & gloriatur Paulus se despiciere suam iusticiam, quæere autem fide per Christum iusticiam, quæ ex Deo est.

Hæc uerba satis ostendunt Basilium sic intellexisse iusticiam fidei, q̄ sentiendum sit nos fide propter Christum per misericordiam iustos, id est, acceptos esse, non propter proprias uirtutes.

D S Cate

## DE ECCLESIA.

Ceterum, q̄, Basilius primum instituit cœtus Monachorum, id exemplum nocuit, & aliquid habuit uitij, etiamsi ipse primum non habuit crassas superstitiones, & illi cœtus adhuc quedam imago erant scholarum. Circumferuntur & libri quidam eius nomine, qui continent Regulas Monachorum, quorum aliqui haud dubie sunt suppositicij, & longo tempore post Basilium nati. Sunt enim pleni falsarum opinionum de coelibatu, & alijs cultibus excogitatis sine mandato Dei, & continent ridiculas nugas, ut magnum aceruum pœnarum seu satisfactionum, quas uocat ἐπιτιμια, si riserit puella in choro, sedeat biduo in uestibulo, & similes nœnias, quas si quis uellet renouare admiratione antiquitatis, uere insaniret.

## De Gregorio Nazianzeno.

Nazianzenus tractauit articulum de Trinitate, Alia dogmata leuiter attingit. Scripsit uitam Cypriani, in qua narrat, quandam puellam amatam esse à Cypriano ante conuersionem, quæ inuocans Mariam uirginem, uicerit magicas incantationes Cypriani.

Hoc

PHILIP. MELANTH.

Hoc exemplum citatur de inuocatione Sanctorum. Etsi autem uidetur esse ficta fabella, & postea sparsa titulo Nazianzeni, tamen etiam si uera esset historia, non est citanda ad confirmandam inuocationem Sanctorum, Nam errores piorum non sunt opponendi uerbo Dei, & omnibus etatibus etiam pij in Ecclesia habent suas infirmitates.

Allegant etiam ex Basilio & Nazianzeno, q̄ in fine concionum de Sanctis, solent eos compellare: O Athanasi ora pro nobis. Etsi autem hæ Apostrophæ ex Rhetoricis figuris excusari possunt, tamen fieri potest, ut more sui temporis tunc inuocauerint Sanctos, Nam inuocatio Sanctorum paulatim tunc in Ecclesia irrepsit, Et errores temporum trahunt homines, ut usitata minus improbent, & boni consulant, Sicut impetus fluminum secum rapit nauigantes, Nec tamen ideo approbanda est inuocatio Sanctorum. Ac postquam mos creuit, & iam reiecta est impietas, prorsus ex Ecclesia tolli debet. Nec Basilius de inuocatione quicquam dicit, tantum ait celebrari memoriam

## DE ECCLESIA.

morianum Sanctorum, ut eorum uirtutes imitemur. Et uocat Sanctos adiutores precum nostrarum, non quod sint inuocandi, sed quia omnes beati in caelo orant pro Ecclesia, et eam Deo commendant.

**Epiphanius.**

Epiphanius scribit mulieres quasdam inuocantes uirginem Mariam, solitas circumferre illius statuam. Hoc totum negotium damnat, et uocat idolatricum opus. Continet enim Epiphanius refutationes ueterum haeresium, praecipue de Trinitate, et paucis alijs materijs, quibus quidem historicum praecipue legendum esse censeo.

## De Chrysofomo.

Chrysofomi aetas multos iam uiciosos mores receperat, quos ipse recensens, non reprehendit, sicut laudat ad euntes monimenta Sanctorum, facit et mentionem orationis pro mortuis. Monasticam immodicis et falsis laudibus ornat. In tractatu de poenitentia cum colligit multos modos consequenda remissionis peccatorum, scilicet elemosynas, lachrymas, et alia opera, tamen non facit mentionem fidei, de qua

PHILIP. MELANTH.

de qua oportuit dici, Ac scriptum illud plerumque  
falsa continet, & confusum ac perplexum est.

Græci maxime laudauerunt commentarios  
in Paulum, ubi in locis de iustificatione &  
de fide series Paulinæ disputationis deducit  
eum eò, ut sæpe repetat hanc sententiam,  
Quod fide consequamur remissionem peccato-  
rum propter Christum, non propter opera.  
Et diserte dicit, Fide non solum diligi Deum, sed  
uicissim credentes sentire, quod à Deo diligantur,  
quanquam multis modis rei sint.

In hac sententia satis significauit se in-  
telligere fidem, non tantum de noticia historie,  
sed de fiducia, qua credimus nobis remitti pec-  
cata, & quidem hanc fidem discernit ab operibus,  
à non furando, non occidendo &c. & di-  
cit hunc cultum superiorem esse. Quanquam  
autem eius enarratio simplicior est & minus  
impura quam Origenica, tamen ipsa quoque est  
obscura, nec ubique secum ipsa consentit.

In 7. Cap. longius currit extra septa,  
ait concupiscentiam & affectus, nisi pariant  
externum

## DE ECCLESIA .

exteruum opus, non esse peccata. Sed tamen, si quis attente & cum iudicio leget commentarios illos, multa inueniet testimonia multorum articulorum. Et quanquam tunc in Ecclesia caligo fuit, tamen apparet retinuisse plerosq; hanc communem sententiam, Quòd fide propter Christum, non propter opera, donetur remissio peccatorum. Ideo & si interdum minus commode loquuntur ueteres, tamen in alijs locis, quid re ipsa uoluerint, animaduerti potest .

De Cœna Domini ex Chrysostomo satis patet, nullas fuisse privatas Missas . Describit enim presbyterum stantem ad aram, & uocantem populum, ut accedat ad communionem .

In libello de dignitate sacerdotij erudite discernit ciuilem & Ecclesiasticam potestatem, negat Ecclesiasticam habere ius coercendi ui corporali .

## De Ambrosio .

Multas causas attingit Ambrosius, uidelicet de Trinitate, contra Nouatianos, de iustificatione .



PHILIP. MELANTH.

stificatione. Et quanquam in commentarijs interdum dissimiles sententiæ reperiuntur, qui non tam ab ipso scripti, quàm ab alijs excepti esse uidentur, tamen perspicuum est ex eius longioribus disputationibus sensisse eum de gratia & de iustificatione, quod nos docemus.

Id testatur Epistola ad Irenæum de paulino dicto: Lex iram efficit, Epistola 71. ubi sic inquit: Ex operibus legis nemo iustificatur, id est, per legem peccatum cognoscitur, sed culpa non relaxatur. Veniens igitur Dominus Iesus peccatum omnibus, quod nemo poterat euitare, donauit, & chirographum nostrum sui sanguinis effusione deleuit, hoc est quod inquit: Superabundauit peccatum per legem, Superabundauit gratia per Iesum Christum, sicut Ioannes inquit: Ecce agnus Dei, qui tollit peccata &c. Ideo nemo gloriatur in operibus, quia nemo factis suis iustificatur, sed qui iustus est, donatum habet, quia per Christum iustificatus est. Fides ergo est, quæ liberat per sanguinem Christi, quia beatus ille, cui peccatum remittitur, & uenia donatur.

Et similes

## DE ECCLESIA.

Et similes sententiæ aliquot reperiuntur in alijs locis apud hunc scriptorem, ut de uocatione gentium. Item ad Demetriadem uirginem, ubi inquit: Nec ob aliud datur præceptum, nisi ut quæratur præcipientis auxilium. Ceterum eius titulo extant quædam præparationes ad Missam, & alia quædam inania, quæ uidentur esse suppositicia.

## De Hieronymo.

Hieronymus in uersionibus utilem operam Ecclesie nauauit, & quanquam enarrationes Prophetarum sunt tenues, tamen historiarum explicatio sumpta à ueteribus est utilis. De dogmatibus pauca scripsit. Aduersus Iovinianum ualde confirmat falsas & superstitiosas opiniones de traditionibus humanis. Vituperat coniugium, & contumeliosa oratione insectatur, quæ nequaquam digna est Christiano. Colligit male detortas sententias scripturæ, quasi uituperent coniugium, ut: Si secundum carnem uixeritis, moriemini. & similes, & expresse dicit, non differre à meretrice nubentem post secundas nuptias. Item, spectandum esse,

PHILIP. MELANTH.

esse, non quid concedat Deus, sed quid uelit, quasi Deus non uelit coniugium. Postremo ethnico more colligit uulgaria conuicia sexus muliebris, & coniugij, de quibus Christianus longe aliter sentire debet, qui scit causam infirmitatis in utroq; sexu esse naturæ corruptionem, & tamen propter Deum sexui tribuendum esse honorem, & cum Deus non frustra condiderit hunc sexum, agnoscendum esse opus Dei, & ordinationem diuinam magnificandam. Nec est minor infirmitas animorum in uiris, in negocijs, quæ uiris commissa sunt. Christianus autem propter Deum fert & mitigat imbecillitatem in socijs huius uitæ diuinitus adiunctis, & coheredibus æternæ gloriæ, & scit Deum uelle, ut illas curemus, tanquam partem generis humani, non despiciamus Diabolica superbia. Hæc atq; alia in hanc sententiam in Christiana disputatione potius dicenda erant, quàm illa scurrilia conuicia sexus & diuinæ ordinationis.

De discrimine ciborum laudat ritus sine uerbo Dei institutos, tanquam cultus Dei, Imo tanquam perfectionem. Ridicula uox est.

E quam

## DE ECCLESIA.

quam ponit, Si uis perfectus esse, bonum est uinum non bibere, & carnem non manducare, ubi male detorsit dictum Pauli, qui cum inquit: Bonum est carnem non edere, addit, si fratri noceat exemplum. Cum autem necesse sit, tales superstitiones in Ecclesia reprehendi, pariunt enim alios multos errores, prudenter de illis inconsiderate dictis iudicandum est.

In dialogo contra Pelagium recte disputat, renouationem non fieri tantum uiribus liberi arbitrij, sed opus esse auxilio Spiritus sancti. Recte etiam negat Sanctos esse sine peccato, & ponit memorabile dictum: Tunc iusti sumus, quando nos peccatores esse fatemur, & iusticia nostra non ex proprio merito, sed ex Dei misericordia contingit. Sed postea non satis dicit, peccata Sanctorum intelligit de actiualibus peccatis, ut flammis libidinum aut iracundia, & similibus, non intelligit de interiore & perpetua dubitatione, securitate, concupiscentia. Constat igitur multos esse in scriptis Hieronymi non exiguos lapsus.

De Augu.

PHILIP. MELANTH.

De Augustino.

Augustinus multas necessarias contro-  
uersias tractauit, resutauit Arianos, Mani-  
cheos, Donatistas & Pelagianos. Nam irrepse-  
rant iam in Ecclesiam philosophicæ opiniones,  
quas Pelagius confirmauit, Euangelium trans-  
formans in Philosophiam, contendebat enim  
nihil esse peccatum originis, homines legi Dei  
satisfacere posse, & illa externa obedientia  
mereri remissionem peccatorum, iustos esse, &  
mereri uitam æternam. Nihil de fide in Chri-  
stum, nihil de auxilio Spiritus sancti dicebat.  
Hæc Pelagij doctrina non Euangelica, sed phi-  
losophica erat, Sicut propemodum scholastico-  
rum Doctorum sententia idem uult, nisi q̄ hī  
aliquid assuunt superstitionum monasticarum.  
Et nunc rursus multi delabuntur in opiniones  
Pelagianas, quia sunt plausibiles rationi.

Augustinus igitur sua ætate doctrinam  
Euangelij, de gratia & fide in Christum, pene  
extinctam restituit & rursus accendit. Propter  
hoc beneficium Ecclesia ei plurimum debet.  
De peccato originis multo loquitur maiori

E 2 perspicuitate

## DE ECCLESIA.

perspicuitate, quàm cæteri omnes. Distinctius etiam & rectius loquitur de libero arbitrio, quod uiribus liberi arbitrii homines facere possint externa legis opera, & honesta opera ciuilia, Sed sine Spiritu sancto non possint habere motus spirituales, uerum timorem Dei, ueram fiduciam, ueram patientiam, hoc est, nouitatem, quam oportet in ijs existere, qui sunt saluandi.

Tradit utile discrimen literæ & spiritus, docet de gratuita remissione, monet, quomodo Paulus intelligendus sit, cum inquit: Ex operibus legis nemo iustificatur, quod uidelicet non tantum detrahat iustificationem ceremonijs, sed etiam moralibus operibus. Hac admonitione ualde opus fuit Ecclesiæ. Nam Origenes & multi eum secuti sparserant falsam interpretationem in Ecclesia, tantum ceremonijs detrahi iustificationem, & finxerant homines legi satisfacere, & iustos esse propter opera. Ideo Augustinus diserte hanc questionem tractat in libro de spiritu & litera, & affirmat Paulum uniuersaliter loqui etiam de moralibus, cum negat nos lege iustos esse. Item, negat homines legi satisfacere, Rom. 8.

Hanc

PHILIP. MELANTH.

Hanc admonitionem Augustini, & hunc locum ipsius plurimum refert meminisse, quia cum ratio non satis perspiciat magnitudinē peccati originis, & naturalis corruptionis, facile delabitur ad illas opiniones, ut putet legi satisfieri, & homines propter opera iustos esse. Ita è regione obscuratur & amittitur iusticia fidei, & uera exercitia spiritualia excutiuntur, scilicet uera inuocatio, quam oportet niti sola misericordia. Sicut nunc deridemur ab aduersarijs, qui uolunt uideri prudentiores, ac uociferantur nos inepte exaggerare infirmitatem, & ridicule detrabere operibus iustificationem, cum tamen ratio non aliud intelligat esse iusticiam, nisi obedientiam iuxta legem.

Sed doctrina Euangelij de peccato, item de iusticia fidei, est arcana, & peculiaris sapientia ueræ Ecclesiæ, quam etiam pauci ex scriptoribus agnouerunt, ac saniores, alij obscurius, alij clarius, agnouerunt. Scotistæ & similes prorsus obruerunt. Ideo postquam Deus hæc rursus patefecit, diligenter tueamur illustratam doctrinam.

B 3

Porro,

## DE ECCLESIA.

Porro, cur aduersarij uicissim non conside-  
rant, quàm sit absurdum, dicere, q̄ Christus libe-  
rauerit nos tantum à ceremonialibus. Item, Si  
liberatio tantum ad ceremonialia pertinet, non  
profuit Patribus ante Moysen. Necesse est au-  
tem statuere, q̄ liberatio à lege pertineat ad uni-  
uersam Ecclesiam, à principio mundi usq; ad fi-  
nem. Hæc copiosius disputantur, ut dixi, in li-  
bello de spiritu & litera.

Deniq; quid sit liberatio à lege, prorsus  
ignorant illi, qui intelligunt eam tantum de cæ-  
remonijs. Vt omnes homines post lapsum Adæ  
sunt oppressi peccato, ira Dei, morte, in gentibus  
uite ærumnis, æternis pœnis, ita sunt omnes  
onerati lege, quæ peccatum arguit, nos accusat,  
& æternis terroribus occidit, ut Paulus inquit.  
Ergo liberari à lege, est ab illa accusatione libe-  
rari, ne simus rei iræ Dei, & æternæ mortis,  
est non tantum à ritibus aut externis spectaculis  
liberari, sed multo potius à lege perterrefa-  
ciente, maledicente, damnante & interficiente.  
nos eripi, Cum uidelicet alia res proponitur,  
propter quam iusti pronunciamur, scilicet, Fi-  
lius Dei, factus pro nobis uictima. Sic



PHILIP. MELANTH.

Sic Adam, Noe, Abraham, & omnes electi ante Moysen à lege liberati fuerunt, Accusabantur à lege, exercebantur horribilibus terroribus & sensu iræ Dei, & maledictionis. Sed inter hos terrores erigebantur agnitione misericordie, propter uenturum Dominum promissæ, & statuebant se iustos pronunciari propter uenturam uictimam, non propter legem. Norant peccata esse non tantum externa delicta, sed interiorum immundiciem, horribilem dubitationem de Deo, fremitum & indignationem aduersus Deum in rebus aduersis, & cæteros prauos impetus, & sciebant non aliqua lege tolli uel ipsum peccatum & naturæ infirmitatem, uel iram Dei, Sed norant se agnitione & fiducia promissi Saluatoris ex tantis ærumnis eripi. Sic & illi sunt liberati à lege morali, uidelicet, iudicante & occidente eos, & ab æterna ira, quam lex denunciat. Norant in illa naturali noticia non proponi gratuitam remissionem peccatorum. Ideo aliunde petebant remissionem, Quod si sensissent ita se iustos fore, cum sine uicio essent, succubissent in agone conscientie, sed norant ideo promissum esse Saluatorem,

## DE ECCLESIA

orem, ut statuerent se placere Deo, etiamsi essent indigni & immundi. Sic sentiebant se iustos esse, non propter legem, sed propter uenturum Saluatorem.

Has tantas res complectitur liberatio à lege, quas non intelligunt homines securi, qui nesciunt, quid sit uera pœnitentia, inuocatio, deniq; qui non exercentur ad afflictionibus, & aut habent animos occupatos uoluptatibus, aut delectantur suis opinionibus, & aspernantur uerbum Dei, aut ad suas imaginationes inflectunt ac corrumpunt. Nonnulli aduersarij astutiores, & si uident Augustini & nostram interpretationem uere esse Pauli ac Prophetice & Apostolicæ scripturæ sententiam, tamen obstrepunt nobis, & Origenis, Hieronymi, Chrysostomi, & nescio quorum, auctoritatem citant, non q̄ illos uere ex animo probent, sed tantum, ut fucum faciant imperitis, ne uideantur uicti.

Non enim adferunt aduersarij ad hæc certamina bonam conscientiam & studium querende ueritatis, sed odium nostri, contemptum Euangelij, curam tuende suæ auctoritatis. Quid  
popu

PHILIP. MELANTH.

populus de Christo sentiat, quomodo erudiantur  
Ecclesiæ, nihil ad se pertinere iudicant, ac par-  
tim aperte exercent sycophanticam, ut Coch-  
leus, Vuicelius & similes, partim sunt tyranni,  
& tyrannorum satellites, qui propter sapientiæ  
aut uirtutis opinionem gubernant Pontificum,  
Regum & Principum consilia, cum sint homi-  
nes ἀθεοί, qui in uniuersum arbitrantur religio-  
nes commenticias esse, ac sibi ipsi mirum in mo-  
dum hoc nomine placent, quod ausint ἀντιπέ-  
δου πρὸς τὰς βροτῶν, ut ille apud Comi-  
cum inquit. Et tales dicturi sunt sententias in  
Synodis de Christi gloria, cuius nomen esse fa-  
bulosum cogitant.

Proinde pios lectores adhortor, primum  
ut considerent genera doctrinæ, utri simpliciter  
& sine sophistica sententiam scripturæ Pro-  
phetiæ & Apostolicæ proponant. Deinde, cum  
Patres citantur, quæ dicta Patrum sint consen-  
tanea diuinæ uoci. Est enim magna dissimilitu-  
do Patrum. Postremo, ut Paulus iubet probare  
spiritus, uoluntas utriusq; partis spectanda est,  
& summa consilij. Illud agunt aduersarij, non

E S ut aliquid

## DE ECCLESIA.

ut aliquid emendent, sed ut qualicumq; pretextu defendant suam tyrannidem, confirment & muniant opes. Ideo Reges & Pontifices aduersantur coniugio Sacerdotum, quia uident coelibus ad retinendam potentiam & opes expeditiorem esse. Hoc modo cum extent notae impie uoluntatis in quibusdam manifestis articulis, satis apparet eos non agitari bono Spiritu, Sed esse hostes Christi, & nec in caeteris articulis quaerere ueritatem. Quare eorum iudicia constanter repudiemus.

Psalmo 42. affirmat renatum non esse iustum propter opera, sed fide, Sic enim inquit: Plane time, si iustum te dicis, si non habes illam uocem ex alio Psalmo: Ne intres in iudicium cum seruo tuo, Nam si iudicium exhibueris sine misericordia, quo ibo? Si iniquitates obseraueris Domine, Domine quis sustinebit? Ne intres in iudicium cum seruo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens. Ergo si non iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens, quia quicumq; hic uiuit, quamlibet iuste uiuit, ne illi, si cum eo in iudicium Deus intrauerit.

Nam

PHILIP. MELANTH.

Nam & apud alium Prophetam arrogantes  
& superbos sic obiurgat: Quare mecum iudi-  
cio contenditis? Omnes dereliquistis me, dicit  
Dominus. Noli ergo iudicio contendere, da ope-  
ram esse iustus, & quantumcunq; fueris, confi-  
tere te peccatorem esse, spera misericordiam,  
& in ista humili confessione securus alloquere  
turbantem te, & tumultuantem aduersus te ani-  
mam tuam, Quare tristis es anima mea, &  
quare conturbas me, forte in te uolebas spera-  
re, spera in Domino, non in te, quid enim es in  
te, quid es de te. Ille sit sanitas in te, qui accepit  
uulnera propter te, & inquit: Spera in Domi-  
num.

Psal. 31. Qui sunt beati? Non illi, in qui-  
bus non inueniet peccatum, Nam in omnibus in-  
uenit. Omnes enim peccauerunt, & egent glo-  
ria Dei. Si ergo in omnibus peccata inueniun-  
tur, remanet, ut non sint beati, nisi quorum res-  
missa sunt peccata. Hoc ergo Apostolus sic com-  
mendauit: Credidit Abraham Deo, & reputa-  
tum est ei ad iusticiam. Hic recte accommodat  
dictum de fide, & testatur se fidem intelligere,  
non tantum historie noticiam, sed fiduciam, qua  
confidimus

## DE ECCLESIA.

confidimus nobis remitti peccata propter Christum. Nec uero quisquam potest assequi Pauli sententiam, nisi sic intelligat nomen fidei. Hoc uere est, ut dicitur, in foribus errare, fidem tantum intelligere noticiam historie, non fiduciam promissæ misericordie propter Christum. Nec mirum est, Monachos tota uia decerrasse in enarrando Paulo, quia in hoc ipso loco turpiter hallucinati sunt. Et nunc aduersarijs hæc caligo præcipue impedimento est, quo minus recipiant doctrinam de fide, quia nomen fidei non recte intelligunt. Cur non expendunt talia Augustini dicta, quale hoc est, quod modo recitauimus? Hic testatur Paulum hoc uelle, Abraham pronunciarum iustum, quia crediderit, non tantum de posteritate sua, sed remissionem peccatorum.

Tales sententiæ passim obuiæ apud Augustinum, satis ostendunt eum de gratia & de fide idem sentire quod nos docemus, Sicut etiam de spiritu & litera inquit: Ex lege timemus Deum, per fidem autem confugimus ad misericordiam. Hic diserte discernit legem & Euangelium.

Et si

PHILIP. MELANTH.

Etsi autem interdum in eius scriptis figuræ orationis occurrunt non satis explicatæ aut incommodæ, hæc temporibus condonandæ sunt, quia vulgi consuetudo quasdam figuras receperat, ut appellationem meriti, & alias quasdam, & has explodere docti non poterant. Deinde nec ipsi Scriptores satis assuefacti fuerunt ad accuratas disputationes, & quanta tunc fuerit caligo in Ecclesia, inde æstimari potest, quod Pelagij impia opinio tanto cum plausu excepta fuit, ut Augustinus & pauci quidam alij non sine magnis certaminibus eam rursus ex Ecclesijs explodere potuerint.

Ceterum de cæremonijs si quis ætatem Augustini nobis opponit, sciat, ne ipsi quidem Augustino placuisse omnes ritus & persuasiones sui temporis. Queritur enim multas superstitiones opiniones hæc in Ecclesia, anteferrî humanas traditiones præceptis Dei, & sic cum mulatas esse cæremonias, ut Iudæorum seruitas tolerabilior fuerit, quàm Ecclesiæ. Verba eius hæc sunt ad Ianuarium Epistola 119. Ipsam tamen religionem, quam paucissimis & manibus festissimis

## DE ECCLESIA.

festissimis celebrationū sacramentis, misericordiā Dei esse liberam uoluit, seruilibus oneribus premunt, ut tolerabilior fuerit conditio Iudeorum, qui tamen diuinis legibus, non humanis, subditi erant. Et primum de ritibus humanis inquit: Totum hoc genus rerum liberas habet obseruationes. Deinde diserte iubet inutiles ritus humanos præcidi. Ergo non ita probat Augustinus cæremonias sui temporis, ut Ecclesiam ad eam normam constitui uelit. Multa enim recepta erant, quæ ne ipse quidem probat, imo reprehendi & corripere uult, quædam more illius temporis obseruat, ut omnes præsentibus moribus multa condonamus.

Huius ætate percrebescere Sermones de purgatorio cœperunt, quos ipse nec refutat nec confirmat, tantum narrat, inquiens, quosdam sic existimare purgari animas piorū, postquam discesserunt à corporibus. Sed libro confessionum 9. petit his uerbis precationem pro mortua matre: Inspira Domine seruis tuis, ut ad ad altare meminerint matris meæ & patris, Nec petit amplius. Quanquam autem hoc uere  
recunde



PHILIP. MELANTH.

recunde dicitur apud illum, tamen nunc scelestè  
detorquetur ad oblationem sacramenti pro  
mortuis, qualis nondum fuit Augustini tempo-  
re.

Fuerunt & uota usitata eo tempore, &  
quæstio incidit, an coniugia post uotum contra-  
cta dissolui debeant. Hac de re extat sententia  
Augustini in decretis 27. q. 1. C. nuptiarum.  
Hic & si Augustinus plus tribuit uotis quàm  
conueniebat, tamen pronunciat coniugia post  
uotum contracta non esse dissoluenda, & affir-  
mat uere esse coniugia, quia altera person-  
na non debet cum iniuria alterius redire ad uo-  
tum. Nec fit obligatio irrita inter duas perso-  
nas, etiamsi altera attulit mutationem prioris  
propositi. Hac in summa dicit in eo textu. Sed  
plus ualuit error de uotis, quàm hæc mitigatio  
Augustini. Ideo constitutiones postea secutæ  
distraxerunt coniugia. Vidit Augustinus illam  
distractionem uiciosam esse, sed non satis consi-  
derauit, quid in ipsis etiam uotis uitij fuerit,  
quod erat obscurius. Vincebatur enim uulgari-  
bus opinionibus sui seculi. Iam mos receptus  
erat faciendi uota. Magna erat admiratio mul-  
torum

## DE ECCLESIA.

torum in eo uitæ genere degētium. Admiratiō  
autem iudicio officit. Non igitur disputabat, an  
ualerent uota, cum quidem multi essent errores  
impliciti illis, habebantur pro cultibus, pro sin-  
gulari merito iusticiæ, pro perfectione, item  
plerisq; erant impossibilia. Hæc si prius resu-  
tasset, melius prohibere distractionem coniugio-  
rum potuisset.

Constat igitur multos abusus illa ætate iam  
hæsisse in Ecclesia, quorum & si aliquibus ad-  
uersatus est Augustinus, tamen aliquos boni  
consuluit, qui postquam reiecti sunt, non debent  
defendi. Deinde etiamsi ueterum exempla suo  
tempore dissimulata sunt, tamen nunc ad confir-  
mandos maiores abusus nequaquam accommo-  
dari debent, ut nequaquam ualet consequentia?  
Augustinus iubet ad altare precationem fieri  
pro matre, Ergo approbandæ sunt Missæ pro  
mortuis. Aut: Augustini tempore quidam arbi-  
trabantur esse purgatorium, Ergo approbandæ  
sunt Missæ, indulgentiæ, & aliæ foundationes  
pro mortuis excogitate. Nam Augustini tempo-  
re nondum erant hæ prodigiöse impietates,  
& si paulatim semina sparsa sunt.

De

PHILIP. MELANTH.

De Gregorio.

Anno 590. inijt Pontificatum Grego-  
rius, cum essent exacti anni post Augustini mor-  
tem 157. Interea influxerant in Italiam mul-  
tae barbarae gentes, Gothi, Longobardi, & ho-  
rum socij. Et non solum studia literarum conti-  
cuerant, & Ecclesiae neglectae erant, sed etiam  
illae ipsae barbarae gentes, quae tenebant Italiam,  
secum inuexerunt aut facile receperunt multas  
superstitiosas opiniones. Ideo brevi tempore ual-  
de cumulati sunt abusus.

In illa dilaceratione Italiae uidebatur esse  
peculiaris foelicitas, abesse à Repub. procul in  
aliqua solitudine degere, sine familia, sine libe-  
ris, non spectare urbium excidia, & uastatio-  
nem patriae. Miserum est enim dicere illud,  
quod Aeneas inquit: Et quorū pars magna fui.  
Itaq; modesti homines, qui habebant familias,  
gratulabantur Monachis suam tranquillita-  
tem. Sic creuit admiratio Monachorum, & plu-  
res coeperunt quærere & amare secessus.

Deinde homines barbari natura miran-  
tur novos ritus, qui speciem habent eximiae pie-  
tatis.

E

tatis.

## DE ECCLESIA.

tatis, & tanquam commercij cum Deo. Nihil mirum est igitur tunc & Monachorum cœtus creuisse, & plausibiles opiniones de illo genere operum latius uagatas esse, & extinctam Euangelij lucem de uera fide, & ueris cultibus.

Grata etiam fuit barbaris ueneratio Sanctorum. Postquam semel receptum erat hos ethnico more ornare statuis & peculiaribus templis, creuit mos imitatione potentum. Et paulatim tantum accessit impietatis, ut nihil differret ueneratio Sanctorum his posterioribus seculis à manifesta Ethnicorum idolatria. Inuocabantur Anna, Georgius, non aliter quàm Iuno, Mars, aut Hercules. Currebatur ad statuas, Et magna autoritate illam ἡ δὲ ὠλομαυία confirmabant Episcopi, laudabant doctores. Et in talibus cultibus erat religionis summa. Interim de Christi inuocatione, de fide, erat ingens silentium.

Principio igitur cauenda fuerunt tantæ impietatis, quæ quidem Gregorius ualde confirmauit, qui publicum ritum inuocationis Diuorum instituit, qui ossibus & pulueribus eorum templa dedicari iussit.

Tunc

PHILIP. MELANTH.

Tunc etiam irrepsit opinio de oblatione corporis & sanguinis Christi faciēda pro mortuis. Hæc opinio peperit horribilem prophanationem Sacramenti.

Etsi igitur post Gregorij etatem maiores tenebræ secutæ sunt, tamen hi errores tunc hæserunt in Ecclesia. Falsa persuasio de monachatu, de operibus sine mandato Dei excogitatis. Inuocatio Sanctorum, & oblatio corporis Christi pro mortuis. Hi errores magnam deinde ruīnam traxerunt. Itaq; Gregorij etas non potest esse norma emendandæ Ecclesiæ, quod quo magis perspici possit, manifestioræ errata Gregorij prius recitabo, deinde pauca de Cœna Domini disputabo. Gregorius libro 3. Epistolarum, in Epistola ad Catanensem Episcopum in Sicilia, præcipit, ne Subdiaconi aut Diaconi consuetudine coniugum utantur, quas ante ordinationem duxerant, cum quidam antea Siculi seruassent Græcum morem, nec maritis interdixissent coniugum consuetudinem. Hic lapsus satis manifestus est. Nemo enim pius distractionem legitimi coniugij approbare potest.

F 2 Narrat

## DE ECCLESIA.

Narrat fuisse quendam Speciosum, qui maluerit relinquere functionem Subdiaconi, quam carere coniugis consuetudine. Hic quisquis fuit, saniore iudicio praeditus fuit, quam illi, qui talia coniugia distrahebant.

Augēt peccatum Gregorij, q̄ hunc morem in Siculis Ecclesijs recipi uoluit, quae ad id tempus iuxta Synodorum ueterum decreta retinuerant coniugia in omnibus gradibus Ecclesiasticis, nec onerabāt uotis Diaconos aut alios. Cur sumit sibi Gregorius imperium in alienas Ecclesias? cum quidem tam tragice declamitet se abhorrere ab uniuersalis Episcopi appellatione. Deinde, cur ibi distrahit coniugia, ubi Diaconi non fuerant onerati uotis? Cur hic non ueretur superiorum Synodorum auctoritatem? Hic lapsus, cum manifestam impietatem & tyrannidem contineat, satis apparet etatem Gregorij non fuisse sine magnis erroribus.

Idem quā inuultus est aduersus eos, qui infantes in monasterijs educati fuerant iussu parentum, & postea facti puberes aliud uitae genus expetebant? De his respondet, nefas esse tales

les

PHILIP. MELANTH.

les deserere uitam monasticam. Hæc duricies non eo tantum reprehendenda est, quia ætati facta est iniuria, sed etiam, quia ualde confirmauit supersticiosas opiniones de monasticis cultibus.

Addam tertium erratum non obscurum. Mouetur spectris, ut comprobet oblationem Sacramenti pro mortuis. Narrat duos, qui post mortem in balneis seruierunt, quorum alter petiuit, ut pro se fieret oblatio Sacramenti, ut ab illis pœnis liberaretur. Ab his spectris sumit dogmata in Ecclesia contra manifestum mandatum Dei, Deut. 18. Non quæras à mortuis ueritatem. Et Esa. 8. Vtrum populus à Deo querit ueritatem pro uiuis, an à mortuis? Ergo qualiscunq; est animarum status post hanc uitam, tamen à spectris non sunt sumenda dogmata. Deinde quis non uidet poeticum esse, quod dicit pios post mortem factos esse balneatores? Similis fabula est commento de filiabus Danai, qui hauriunt aquam cribris.

Non instituiimus hunc catalogum, ut errorum confutationes adderemus, quæ extant alibi

̄ 3      satis

## DE ECCLESIA.

satis multæ, tantum recensere errata uolui, ut appareat falli eos, qui sic admirantur Patres, tanquam fuerint ἀντιμαρτυροί, & nusquam dissentiant à scripturis diuinis manifestis. Et si igitur aliquid monent interdum eruditiores Patres, tamen de eis iudicandum est ex uerbo Dei.

Omissis igitur alijs confutationibus, breuiter quædam de illa oblatione pro mortuis adijciam. Non opus est quæri, an sit purgatorium, nihil hæc quæstio ad oblationem pertinet. Etiam si esset purgatorium, tamen impium est, offerre Sacramentum pro mortuis. Rationes multæ sunt firmissimæ. Prima, Impietas est constituisse cultum in Ecclesia sine mandato Dei, Adplicatio Cœnæ Domini pro alijs, fit sine ullo mandato & testimonio diuino, Ergo sine ulla dubitatione hæc adplicatio est impia.

Maiorem confirmant plurimæ sententiæ, Non habebis deos alienos. In hoc mādato etiam cultus alieni prohibentur. Et huc pertinet dictum: Frustra colunt me mandatis hominum. Item: Quidquid non est ex fide, peccatum est.

Porro



PHILIP. MELANTH.

Porro cultus sine mandato Dei non possunt ex fide fieri. Sed mundus non intelligit, quantum peccatum sit, fingere cultus sine mandato Dei, discedere à uerbo Dei. De hoc scelere maxime concionantur Prophetae, & deplorant hominum cœcitatē, qui cultus & dogmata de uoluntate Dei fingunt horribili audacia, nec retinent uerbum & cultus, quibus Deus suam uoluntatem nobis proposuit. Ipsi cœci quærunt Deum alijs modis. Constat autem Christum non tradidisse Sacramentum, ut pro mortuis adplicetur. Quæ ibi fit mentio mortuorum? Iubet celebrari Cœnam, ut recordemur mortis & beneficiorum suorum. An mortui adsunt, ut unà recordentur? Sed breuiter adijciam & alias rationes.

Secunda, Sententia certa est, quæ labefactari nequaquam potest: Iustus sua fide uiuet. Quare necesse est nos accipere remissionem peccatorum uiuos. Ac impossibile est, contingere ullis remissionem peccatorum propter opus aut sacrificium cuiusquam sacrificuli. Cause obscure, ambiguae, longas disputationes requirunt. Hic error de oblatione refutatur adeo

F 4 perspicuis

## DE ECCLESIA

perspicuis & firmis argumentis, ut nihil desiderent longam explanationem. Doctrina de remissione peccatorum certa & perspicua est. Nemini fit remissio, nisi fide propria eam accipiat. Hanc sententiam si quis tollit, contumelia adficit Christum. Ergo contumelia adficiunt Christum, qui fingunt oblationem illam mortuis mereri remissionem.

Tertia, Tantum ijs prodest Sacramenti usus, qui utentes eo, recordantur mortem & beneficia Christi. Ergo impossibile est, id opus mortuis prodesse, qui nec utuntur ipsi, nec addunt ibi recordationem. Antecedens manifestum est ex Christi institutione, quia iubet celebrari hoc mysterium ad recordationem. Nec aliud institutioni affingendum est. Si quis plura affingit, si quis transfert ad mortuos, impie contaminat institutionem Christi.

Quarta, Aperte dicit Scriptura: Beati mortui, qui in Domino moriantur. Rom. 8. Corpus mortuum est propter peccatum, Spiritus uero uiuit propter iustificationem, id est, iustificati spiritu, donec hoc corpus circumferunt,

PHILIP. MELANTH.

runt, in quo herēt reliquiæ peccati, uarie adfli-  
guntur, ut in inuocatione crescant, fides, agnitio  
Dei, & nouitas spiritualis. Sed mortuo corpo-  
re, peccati reliquiæ abolentur. Et diserte addit  
Paulus, Viuere spiritum propter iustificatio-  
nem, illa uita iustificati spiritus non est pauor  
aut sensus iræ Dei, sed est gaudium in Spiritu  
sancto, sicut Paulus inquit, Non sunt igitur pœ-  
næ purgatorij.

Christus inquit ad conuersum Latronem :  
Hodie mecum eris in Paradiso, hoc est, in uita  
tranquilla & beata, non in pœnis & pauori-  
bus. Non igitur discedunt iustorum animæ ad  
cruciatum, sed ad gaudium spirituale, & ad pa-  
cem. In hac uita exercentur pij horribilibus  
ad afflictionibus, quia Deus mirabili consilio uult  
Ecclesiam suam subiectam esse cruci, & degu-  
stare afflictiones Christi. Sic Adam, Isaac, Ia-  
cob, Ioseph, Dauid, Esaias, Ieremias, Iohannes  
Baptista, & cætera lumina Ecclesie, fuerunt in  
ærumnis, quarum magnitudinem enarrare ne-  
mo potest. Ideo Petrus inquit: Humiliamini sub  
potenti manu Dei. Etsi igitur tales sunt pœnæ  
piorum,

## DE ECCLESIA

piorum, dum in corpore uiuunt, tamen post mortem esse tales adflictiones cur dicitur? cum hæc adflictiones sint destinate ad agnoscendas peccati reliquias in carne, & ad poenitentiam. At post mortem non est locus poenitentiae, sicut Paulus clare adfirmat 2. Corin. 5. Reportabit unusquisq; ea, quæ gessit in corpore. Et Psalmi hoc docent: Non mortui laudabunt te Domine. Item: Quoniam non est in morte, qui memor sit tui. Non igitur affirmari potest, aliquos post mortem adhuc exerceri illis cruciatibus, ut agant poenitentiam.

Si dicunt aduersarij, cruciatus illos non eo infligi, ut crescat poenitentia, sed ut sint satisfactiones, multo magis explodenda est hæc opinio. Nam doctrina satisfactionum, quam sententiarj confinxerunt, falsa & impia est. Et quidem in eas disputationes, tanquam in sententiam, plurima mendacia confluxerunt, de purgatorio, de uotis, de oblatione pro mortuis, de niq; alia multa. Cum igitur purgatorium, quod uocant, adfirmari non possit, impietas est instituire oblationem ad liberandos mortuos.

Quamquam

PHILIP. MELANTH.

Quamquam si esset purgatorium, non transferri ad mortuos Coena Domini posset.

Sed quid disputo? Orta est mentio purgatorij à spectris, deinde confirmata propter questum, & nunc defenditur à Pontificibus, Cardinalibus, Episcopis, Canonicis, qui palam sunt Epicurei, ac securissime contemnunt iudicium Dei, & quæ de pœnis post mortem legunt, sic accipiunt, ut fâbulas Poetarum, de Ixione, Sisypho, Tantalos, aut similes, ac rident stulticiam aliorum, qui affirmant Deum proposuisse æternas pœnas impijs.

Omitto igitur disputationem in presentia. Basileæ in Synodo exhibuerunt Græci orationem de purgatorio, quæ hodie extat in Phoracensi Bibliotheca, in qua de loco Pauli 1. Cor. 3. disserunt, quem ad purgatorium detorsit ætas recentior, cum constet eum locum de pœnitentia loqui: Saluabitur, sic tamē, quasi per ignem. Ergo uult lapsum pœnitentia corrigi. Quare de presenti uita loquitur, in qua locus est pœnitentiæ. Profecto uerum est quod dicitur: Simplex est ueritatis oratio. Cum Paulus de pœnitentia

## DE ECCLESIA.

penitentia loquatur, non potest hic locus detorqueri ad cruciatus post mortem.

De loco in Machabeis est etiam planissima responsio, Veritas rerum erroribus gestorum non uiciatur, inquit Iurisconsultus. Et Demosthenes contra Aristocraten, reprehendens uiciosa exempla, inquit: Μη δὲ τοῦτο ἡμῖν ἐστὶ λέγειν ὡς γέγονε, ἀλλ' ὅτι δίκαιον γινέσθαι. Sacrificia Leuitica non debebant peccata coram Deo, deinde nulla pro mortuis instituta fuerunt. Ergo fuit error sacrificare pro mortuorum peccatis, ut Iudaei alios uiciosos cultus saepe receperunt. Natura enim hominum ad superstitionem propensa est omnibus aetatibus. Ideo cum exemplum illud pugnet cum scripturis, non est citandum ad confirmandas superstitiones in Ecclesia. Haec fere sunt praecipua, quae de purgatorio citantur. Ideo autem hanc disputationem inserui, ut magis appareat, lapsum Gregorij, qui confirmavit oblationem pro mortuis, aperte cum apostolicis scripturis pugnare.

Quod cum ita sit, etiam Canon Missae, ut uocatur, reprehendendus est, in quo dicitur fieri oblatio

PHILIP. MELANTH.

ri oblatio ad redimendos uiuos & mortuos.  
Quæ fuit audacia Sacramentum transferre ad  
mortuos? cum institutio tam clare de uiuis, de  
recordatione loquatur. Gregorius scribit hunc  
Canonem à quodam Scolastico, ut ipse eum no-  
minat, compositum esse. Sed quisquæ fuit autor,  
qui hanc rapsodiam congeffit, illud negari non  
potest, dissentire latinum Canonem ab utroq;  
græco, quanquam nec græci Canones inter se  
consentiunt. Et differunt in locis insignibus.

Hactenus de Gregorio dixi. Nec uolo se-  
quentium seculorum scriptores adijcere. Nam  
doctrina magis degenerauit postea. Accessit &  
Pontificum tyrannis, cum Gregorius adhuc ap-  
pellationem uniuersalis Episcopi repudiet ac  
ualde uituperet, ut testantur aliquot Epistola in  
libro 3.

Possent adijcere querelas scriptorum ue-  
terum de Episcoporum cupiditatibus, & inscia-  
tia, quæ si nihil aliud, tamen hoc monent, Eccle-  
siam nequaquam ad exemplum & ideam eius  
temporis constituendam esse. Sed in Apocalypsi  
Iohannis proponuntur horribiles imagines,  
quæ

## DE ECCLESIA.

que significant haud dubie Ecclesiae tempora,  
& ostendunt grassaturos statim in Ecclesia  
impios doctores, ac tyrannica dominatione op-  
pressuros ueritatem.

Monstrant & Synodorum historiae, quan-  
ta in Episcopis plurimis rabies fuerit, qui ad  
tuendam impietatem miris artibus incenderunt  
Principes, & uulgus, prorsus ut nunc Pontifi-  
ces & Episcopi omnibus artificijs Regum ani-  
mos ad mouendum ciuile bellum mouere conan-  
tur.

Basiliius in fine libri de Spiritu sancto,  
quam tragica querela deplorat Episcoporum sui  
temporis furorem & impietatem, narrat sedi-  
tionibus & caedibus quæri defensionem malo-  
rum dogmatum. Et ad Italicos ac Gallicos  
Episcopos ita scribit: ἀνατέτραπται μὲν  
γὰρ τὰ τῆς εὐσεβείας δόγματα, συγ-  
κέχυνται δὲ εὐσεβείας θεσμοί, φιλαρχία  
δὲ τῶν μὴ φοβουμένων τὸν κριτὴν ταῖς  
προσάσεις ἐπισηδᾶσι, καὶ ἐκ τοῦ προ-  
φανοῦς λοιπὸν ἀθλοῦ δυσεβείας, ἢ προε-  
δρία πρόκειται, ὡς ἐὶ τὰ χαλεπότερα  
βλασφημᾷ



PHILIP. MELANTH.

Βλασφημίες, εἰς ἐπίσκοπον λαοῦ προ-  
τιμότες, οἷχεται σεμνότης ἱερατικῆ,  
ἐπιλελοιπασιν οἱ ποιμένοις μετὰ  
ἐπισήμης τῷ πρίμνιον τοῦ κυρίου.

*Id est, Euersa sunt ueritatis dogmata,  
confusæ leges pietatis. Ambitio non timentium  
Deum, rapit gubernationem Ecclesiarum. Nec  
aditus est ad honores, nisi per impietatem, ut  
quisq; est rabiosissimus & audacissimus in lace-  
randis pijs & ueris dogmatibus, ita maxime  
dignus Episcopi honore iudicatur. Perijt gra-  
uitas sacerdotibus conueniens, desunt Pastores,  
qui eruditione gregem Domini pascant.*

*Sic ille sui temporis Episcopos depingit,  
quorum uicijs recentior ætas addidit imperia  
& tyrannides.*

*Cum igitur constet illam ætatem non  
sine uicijs esse, concedendum est Ecclesie, ut  
de doctrina consulet uerbum Dei, sicut Pa-  
ter cœlestis præcipit, ut Filium audiamus.  
Et David inquit: Lucerna pedibus meis uerbum  
tuum.*

HCC

## DE ECCLESIA.

Hæc de ueterum scriptorum erratis, & si multa prætermisi absurde dicta, non eo collegi, ut de ueris eorum laudibus aliquid detrahatur. Credo plerosq; in his fuisse pios & præstantes uiros, quidam etiam optime meriti sunt, sed ne ipsi quidem uoluerunt anteferri sua dicta, doctrinæ Christi. Deinde hi, qui nunc nobis ueterum autoritatem opponunt, ualde illorum testimonijs abutuntur. Et si illis temporibus semina errorum sparsa sunt, tamen nondum in Ecclesiam peruaserunt tam tetri abusus. Erat initio qualiscuq; mentio Sanctorum. Quantum accessit impietatis postea? Non igitur citanda est Nazianzeni declamatio, cum illius ætas adhuc ignorauerit hanc recentem Idolatriam.

Sed quid citant Ecclesie autoritatē aduersarij, cū non de doctrina, non de religione dimicent, sed de suis libidimbus atq; opibus? Tranquillitatem suam turbari nolunt. Hæc una & sola causa est, cur nos delere cupiant. Nam dogmata quædam luce meridiana clariora sunt. Et tamen ut hæc opprimant, manifesta crudelitas exercetur, interficiunt pios, doctos & bonos uiros,

ros,

PHILIP. MELANTH.

Sacerdotes propter coniugium. Hoc ubi lectum est de ulla barbarie, interfici homines propter honestum coniugium? Si ueterem Ecclesiam probant, cur hic non imitantur prima tempora? An Ambrosium uel Augustinum arbitrantur hanc crudelitatem suppliciorum probaturum fuisse? Illi uero execrati essent hanc immanitatem, & palam testati, hos Pontifices, autores crudelitatis non Ecclesie membra, sed Diaboli organa esse, ac sine ulla dubitatione defensionem piorum sacerdotum, mulierum, puero-  
rum, deinde tot gentium, quae sunt coniunctae huic cause, suscepissent.

Postquam autem dixi quae sit uera Ecclesia, & constat, nos doctrinam Catholicae Ecclesiae Christi, traditam in scripturis propheti-  
cis & Apostolicis & in Symbolis, fideliter retinere ac tueri, manifestum est, nos uere cum Ecclesia Catholica Christi sentire. Addo illud etiam, praecipuos scriptores, Ambrosium, Augustinum, & paucos alios idem sentire, si commode intelligantur, & pauca quaedam eis condonentur, quae tunc non uenerunt in controuersiam.

G De

## DE ECCLESIA &

De Liturgia nihil dubium est, nec priuacitas, nec uenales, nec funebras Missas fuisse ante Gregorium. Nec inuocatio Sanctorum multo ante Gregorium celebrari coepit.

Est & lex de coelibatu perpetuo admodum recens, quæ non aliam ob causam defenditur, nisi quia coelibatus est commodior ad tuendas opes. Et manifestam iniuriam uerbo Dei faciunt, qui adfirmant coniugium Sacerdotum cum iure diuino pugnare.

De poenitentia, de remissione peccatorum ac iustificatione, quam dicimus homines propter Christum consequi, non propter opera, de satisfactionibus, de Clauibus, de traditionibus humanis, de rebus politicis, Pleraque nostri disputauerunt planius, quam ueteres, quæ tamen adparet consentanea esse perpetuis sententijs illorum, qui fuerunt eruditiores ac peritiores rerum spiritualium, qui quidem hanc explicationem ac methodum si legissent, pro sua pietate candidè probaturi fuissent, ut audio narraſſe uirum præstantem Theologum Parisiensem, se ex nostrorum explicatione, de iustificatione, pri-

mum

PHILIP. MELANTH.

mum rectius Augustini sententiam intellexisse.

Scio ex ueteribus excerpri posse multa pugnantia cum nostris sententijs. Et excerpit pro suo adfectu quisq; quod uidetur commodum, ut ex iisdem floribus apes mella legunt, aranei uenena. Sed absint à iudicijs Ecclesiasticis Syco-phantia. Non prouoco ad omnes Scriptores, sed ad meliores, Ambrosium, Augustinum, & quatenus alij cum his consentiunt, qui cum ipsi interdum pugnantia dixerint, ueniam nobis dabunt, si quaedam reprehendemus, modo ut manifestam & certam scripturae diuinae sententiam sequamur, nec discedamus à Symbolis, & teneamus, quod ipsi spectarunt ac uoluerunt, interdum autem explicare non potuerunt. Nihil enim dubium est, hoc doctrinae genus, quod profiteremur, uere esse ipsum consensum Catholicae Ecclesiae Christi, ut ostendunt Symbola, saniores Synodi, & eruditiores Patres. Haec respondi moderatioribus, qui auctoritatem Ecclesiae aut Patrum nobis opponunt.

Exoritur autem quoddam nouum genus  
G 2 sapientum,

## DE ECCLESIA.

sapientum, qui cum sint ἀθεοί, nulla prorsus uolunt moueri de religione certamina; laudant pacem & concordiam, execrantur omnes, qui quocunq; modo serunt discordias, hos, tanquam καὶ ἀγματοὶ, & pestes generis humani tollendos esse censent. Hæc est una Philosophia Pontificum, Cardinalium, Regum, Canonorum & plurimorum, qui perhiberi uolunt politici, qui scilicet ocium suum interturbari nolunt, nolunt dignitatem suam labefactari, oderunt doctrinam, quæ uidetur offectura commodis ipsorum, deniq; alius aliam habet causam. Horum omnium una uox est in Regum consilijs, Nullam mutationem concedendam esse, retinendam esse concordiam Ecclesiæ, auctoritatem ordinariæ potestatis.

Deinde habent suos Rhetores, qui uehementissimas cōciones in eam sententiam edunt, quos nominari omnes nihil opus est. Extant enim multorum scripta, Sed ex omnibus illis centones nuper consuit Omphalius. Initio tanquam Solon aut Areopagita aliquis, concionatur de Legum dignitate, uituperat seditiones  
& le

PHILIP. MELANTH.

Et legum contemptum, commemorat quàm dulcis harmonia sit ordinis & ευταξία in Re-  
pub. quam Leges efficiunt. Deinde & si non no-  
minat certam professionem, tamen quos præ-  
cipue petat, satis ostendit, declamitat aduersus  
nos, qui quasdam tyrannicas & impias leges  
Pontificum excussimus. Et si autem non os mor-  
eum hæc gratis dicere, tamen cum eadem dis-  
cantur à multis summis & eloquentibus uiris,  
non disputabo quid iste captet.

Totum hoc genus concionum spectat ad  
confirmandos potentum animos, ne ulla mode-  
rata & pia consilia audiantur, deinde, ut in-  
flammati iniustam sæuiciam exerceant. Vt au-  
tem David petebat, ne ualere consilia Achis-  
tophel, sic nos precabimur Deum, ne horum  
Rhetorum eloquentia ueritatem & gloriam  
Christi opprimat. Et cum scriptum sit: Ex ore  
infantium & lactentium perfecisti laudem, spe-  
rabimus Deum non defuturum nobis esse in  
refutandis illis calumnijs, & in gloria Christi  
illustranda.

## DE ECCLESIA.

Scio plausibiliter dici de Legum dignitate, de pace, de tranquillitate communi. Non adeo rudis sum literarum, nec adeo alienus à civili consuetudine uitæ. Sentio etiam in Repub. communi tranquillitati ea onera condonanda esse, quæ sine impietate tolerari possunt. Valeant in eo genere hæ sententiæ, ἡ κακὸν εὐκρίμενον μὴ κινεῖται. Et quod Plato dixit, ut deliri patris, ita patriæ desipientis mores tolerandos esse. Recte ista in loco dicuntur, de civilibus oneribus, quæ sine impietate tolerantur, sed hæc philosophia non transferatur ad observandam gloriam Dei. Doctrinæ errores, & idolatria nequaquam dissimulari debent, sicut Christus inquit: Si quis negauerit me, confundam eum. Primū Præceptum: Nō habebis deos alienos, lōge anteferendū est omnib. rebus humanis, legib. hominum, imperijs, ordinariæ potestati, paci, patriæ, cōcordiæ. His nominib. nihil est augustius, sed tamē anteferendū est nomē Dei.

Prophete, Apostoli, haud dubie patriam & patriæ tranquillitatem, siquā alij, amarunt maxime. Et tamen reprehendere impios cultus & prauas opiniones coacti sunt. Et quidem Christus

stus



PHILIP. MELANTH.

Itus profitetur se doctrinae genus adferre, tanquam ignem, qui sit accensurus ingentes discordias. Necessesse est enim existere certamina de cultu Dei, quia Diabolus ardet horribili odio Dei, & quantum potest delere uerbum Dei conatur, & aduersus Deum homines impios incitat, ac secum trahit florentissima imperia, cum his hostibus belligeratur Christus.

Quare cum necesse sit pijs reprehendere & abolere impios cultus, non possunt non esse mutationum autores Prophetae & Apostoli. Quanquam igitur politica sapientia abhorret ab ipso mutationis nomine, Et pijs, qui certe non omnes stolidi aut fatui sunt, intelligunt, quantum difficultatum & periculorum adferant mutationes, tamen Christianum pectus antefert mandatum Dei, & excelsa animo excipit omnes difficultates, easque intelligit regi à Christo, cui omnia subiecta sunt, ut inquit Propheta.

Hæc breuiter respondeo, non tam Omphalij orationi, quam illorum sapientum argumentis, qui in omnibus consilijs concionantur de uisandis mutationibus, de concordia. Etsi autem

G 4 homines

## DE ECCLESIA

homines & Theologi hanc responsionem derident, tamen pijs utile est considerare hæc argumenta, ne illa sapientiæ species deterreat animos à pietate, & à professione ueritatis.

Et hæc scribo maxime admonendæ iuuentutis causa. Impij cum alijs illecebris, opibus & alijs commodis animos multorum capiunt, tum uero etiam irretitos tenent his persuasionibus, quæ uitandæ sint mutationes, quæ deceat fauere ordinariæ potestati, tueri præsentem formam Reipublicæ. Hæc quatenus laudanda sint, Christiani præmonendi sunt, ne obliuiscantur huius præcepti: Non habebis Deos alienos.

Doleo quosdam excellentibus ingenijs præditos conspirare cum impijs, ac faces esse ad incitandos Reges ad crudelitatem, & ad stabilendam impietatem. Illa est uirtus digna magnis & præstantibus uiris, præcipue ad laudem Dei conferre industriam atque autoritatem. Hic scopus propositus esse debet omnibus, ut suo quisque loco, quantum potest, conferat aliquid operæ ad conseruationem cœlestis doctrinæ, De alijs Parasitistris paruis, qui scribunt Syco-  
phanticos

PHILIP. MELANTH.

phanticos libellos, hoc loco non dicam, qui sunt ex illo genere  $\kappa\omicron\lambda\ \acute{\alpha}\nu\alpha\ \rho$ , quales alebat Dionysius Siculus, qui sputum Tyranni excipiebant, ac lingebant prædicantes nectare dulcius esse.

Redeo ad sapientes illos, quorum aliqui simulantes religionem, postquam uident absurdas superstitiones superiorum temporum excusari non posse, ad fingunt ritibus & decretis molliores interpretationes, ut tecte stabiliant impietatem, conseruatis ritibus ac uiciosis decretis. Talis est liber editus Coloniae, titulo Reformationis. Audio & Contarenum Cardinalem in Italia dicere solere, Lutheranos facere iniuriam Romanis proceribus, cum adscribant illis errata plebeiorum scriptorum, ut Legendarum, Dormi secure, & similia. Nunquam sic censisse Romanos proceres, aut ineptias illas probasse. Ita nunc à se derivant errata. Ac scio ubiq; gentium plurimos esse, qui hoc nouo artificio laudem singularis sapientiae aucupantur, qui primum eo iniusti sunt, qd cum pleraq; à nobis correctæ ex nostris libris mutuentur, & nostris se pennis orient, ut

G S                      fucum

## DE · ECCLESIA ·

fucum incautis faciant, tamen nobis iniqua *Ἰ*  
*Ἰ* *Ἰ* *Ἰ* reddunt, Non enim desinunt in nos  
exercere crudelitatem, deinde non cogitant  
hanc nouam Sophisticam fore extremam per-  
niciem ueræ religionis.

Si ingenijs petulantioribus licet commi-  
nisci glossas suo arbitrio, quid futurum est? Ma-  
nifesta est Idolatria in cultu Sanctorum, in  
Missis pro mortuis. Et tamen glossæ affingun-  
tur ad retinendos ritus per sese uiciosos. Ita pau-  
lo post fortassis Aegyptias superstitiones excu-  
sabunt. Absit ab Ecclesia hæc impia & perni-  
ciosa Sophistica, quæ est protestatio contraria  
facto. Cultus non institutus expresso Dei uerbo,  
per sese uiciosus est, etiam si affingas quamcūq;  
uoles glossam, ut inuocatio Sanctorum per sese  
uiciosa est, quia non est instituta diuinitus, de-  
inde & ob hanc causam per se uiciosa est, quia  
hic ipse mos, etiamsi diuersum cogites, tribuit  
Sanctis honorem Deo proprium, quod omnes  
audiant.

Possem exempla multa recitare, sed de-  
sino, ac pios adhortor, ut istam nefariam So-  
phisticam

PHILIP. MELANTH.

phisticam execrentur. Ezechias non solum superstitiosas opiniones de Æneo serpente correxit, sed ipsam statuam deleuit. Ita pietas est cum impijs opinionibus ritus ipsos abijcere, qui non sunt proprie mores politici. Sicut scriptura præcipit, Idola destrui. Sic ipsi ritus priuatarum Missarum, Inuocatio Sanctorum, Votorum obseruatio, Monasticus uestitus, Sodalia monastica, Vinculum cœlibatus, Discrimina ciborum, & similes inepti ritus à superstitionibus orti, tollantur & aboleantur.

Sed quid disputo? Illi, qui hac Sophistica pingunt uiciosos ritus, non hoc uere agunt, ut tollant errores ex Ecclesia, sed ut qualicumq; prætextu defendant suam autoritatem, & arte stabiliant impietatem. Facile enim repullulant prauæ opiniones, si ritus ipsi maneant. Necessè est pios uigilantes esse. Nam Diabolus oppugnat Euangelium, non tantum palam incitans Tyrannos ad seuiçiam, sed etiam callide insidias struens prætextu sapientiæ, & offundens bellas persuasiones, de quibus cauendis toties præcipit Spiritus sanctus, ut ad Timotheum inquit Paulus,

lus,

## DE ECCLESIA.

lus, uenturos spiritus impostores. Et ad Colosenses ait, traditiones humanas speciem sapientie habituras esse. Non tantum manifesta deliramenta spargentur, qualia fuerunt pleraque uetera & recentia, ut paulo ante manifestae fuerunt imposturae indulgentiarum, sed etiam homines astuti falsa dogmata & impios ritus artificiose pingent, ut magno cum adplausu excipiantur, amentur ac retineantur. An non habet sapientie speciem impietas Samosateni? An non est plausibilis error Pelagij prophanis ingenijs? Ita habent haec speciem sapientie, Prodest ad pacem & tranquillitatem, retinere usitatos mores, decerpantur igitur horridiores opiniones, & affingantur interpretationes εὐφραστῶν, ritus ipsi retineantur. Splendide hoc dici uidetur, cum longe aliud agatur.

Haec Sycophantiae significatae sunt in historia de Christo, quem cum oculos eius uelassent, ei que colaphos impegissent lictores irridentes, iusserunt uaticinari, a quo percussus esset. Sic excusatores isti impiorum rituum ludibrio habent Christum & Ecclesiam. Postquam insulsum

PHILIP. MELANTH.

sum aliquod glossema excogitarunt, putant se iam præstrinxisse Christo oculos, deinde addunt colaphos, hoc est, impietatem stabiliunt, incendunt Reges ad crudelitatem, ac Triumphos agunt, quasi iam prorsus delerint ueritatem. Ipsi plausum in suo Theatro auferunt, prædicantur à malis, amantur à Regibus, quorum seruiunt cupiditatibus. Sed orandus est Deus, ut hoc genus Sycophantarum reprimat.

Nicanter ait genus esse Serpentum, quod appellat Hæmorrhoidas, sunt autem exiguae bestiolæ, unius longitudine pedis, sed ueneni tantus est, ut ab illis ictu sudor erumpat cruentus toto corpore, ut ex ore, naribus, uesica large profluat sanguis, ut sanguineas lachrymas extillant oculi, ut ardeat in credibili inflammatione totum corpus. Huius generis bestia cum in Aegypto necasset Nauclerum Helena, Heroica mulier pede illam contriuit, unde & posteritas Hæmorrhoidum dicitur claudicare amissa spina. Porro euentus ostendit hanc nouam Sophisticam interpretandarum traditionum, uenenum esse non dissimile Hæmorrhoidum.

Indocti

## DE ECCLESIA.

Indocti & si sunt nobis infesti, tamen pertinacia  
& odio pugnant, non pugnant autoritate. Iste  
Hæmorrhoides propter doctrinae oppugnatio-  
nem, propter Sophismata, & ut uocat Paulus,  
propter speciem sapientiae, sunt in admiratione,  
incitant animos potentum ad opprimendam ue-  
ritatem. Hoc ueneno accensi principes, flam-  
mas odij concipiunt, fiunt cruenti & furenter  
crudeles. Sed Christus non sinet obrui lucem  
Euangelij, sicut scriptum est: Quod est ex Deo,  
non abolebitur, Proinde Ecclesia, in qua lucet  
uera doctrina, tandem illis Hæmorrhoidibus spi-  
nas exeret. Non oppriment ueritatem sophisti-  
cae ille interpretationes, & astuta & crudelia  
consilia impiorum.

Quod uero passim aliqui cupidi pie con-  
cordiae, expectant Pontificum Synodos, & spe-  
rant has Ecclesiae medicaturas esse, aut uicia  
correctura, longe falluntur. Nunquam enim Pon-  
tifices, & eorum coniurati Satellites desinent  
bellum gerere aduersus Christum, quod ut ita  
existimem, moueor non tantum humanis coniec-  
turis, quae multae & non leues sunt, Christi di-  
stimo-



PHILIP. MELANTH.

Et is moueor, deinde exemplis omnium etatum .  
Nam Christus negat blasphemos sanari, qui con-  
tra conscientiam oppugnant ueritatem, defen-  
dunt manifestam ἁδωλομακίαν, & piorum  
cruore se resperferunt. Furor blasphemias  
& parricidia haud dubie comitatur, sicut hi-  
storiae Cain, Pharaonis, Saul, populi Iudaici te-  
stantur. Et Deus minatur cecitatem blasphe-  
mis, sicut Psalmus inquit: Obscurentur oculi eo-  
rum. Itaq; augent quotidie supplicia, obligant  
sibi principes impijs foederibus. Nec tantum pa-  
lam grassantur, sed clam struunt insidias ut  
piorum principum. An existimandum est,  
hos moderata aut pia consilia admissuros esse?  
Et aliquoties iam experti sumus plerosq;, qui si-  
mularunt moderationem, tamen re ipsa nihil  
egisse, nisi ut nos irretitos opprimerent, ac to-  
tum doctrinae genus delerent. Scio paucos,  
quosdam esse saniores in hostium Collegijs, qui  
deplorant potentum pertinaciam, sed horum  
sententiae exploduntur tanquam scholasticae.  
Haec cum ita sint, pia mentis est, & cogitantis  
de sua salute, de gloria Christi, quaerere quae sit  
uera Ecclesia, ut huic se adiungat, ut huius  
coetus,

DE ECCLESIA.

coetus, & gregis Christi pars sit, sicut inquit  
Christus: Qui non est mecum, contra me est.  
Dein le sciat Ecclesiam nequaquam esse Tyrannos  
& persecutores Christi, & eos, qui seui-  
ciam uel adiuuant, uel comprobant. De his te-  
neamus Regulam certissimam Pauli: Si quis  
aliud Euangelium docuerit, anathema sit. Et  
cum ait, anathema sit, non existimemus usum  
esse leui aut uulgari maledicto, Cum nominat  
anathema, significat Deum ex Ecclesia eiecisse  
hostes ueræ doctrine, eosq; fugiendos esse, tan-  
quam diras pestes, quas Deus execratur. Pol-  
lui se horum societate & consuetudine boni  
sciant, & duros graues poenas amicitiae &  
coniunctionis cum illis. Psalmus inquit de hoc  
genere: Induit maledictionem sicut uestimen-  
tum, & intrauit sicut aqua in interiora eius,  
& sicut oleum in ossa eius. Huius maledictio-  
nis contagium nocet cæteris, qui sunt coniuncti  
cum illis, qui & ueritatem oppugnant, & ex-  
ercent seuiciam in pios. Non igitur existime-  
mus parum momenti habere hoc mandatum:  
Si quis aliud Euangelium docuerit, anathema  
sit. Non sunt Episcopi, non sunt Ecclesie mem-  
bra, sed

PHILIP. MELANTH.

bra, sed hostes Christi, qui cum furijs agitentur, non de Ecclesie concordia & pace cogitant, sed de tyrannide stabilienda, non student sanare Ecclesias, sed moliuntur bella ciuilia, uastitatem Ecclesiarum, parricidia piorum sacerdotum & piarum mulierum. Proinde non expectanda est ab illis emendatio Ecclesiarum, sed potius cogitandum ut sententia, animo & uoluntate quisq; se ab illis seiungat, fugiat eorum qd̄ ὀλομασία, non audiat conuicia contra ueram doctrinam, non adiuuet, non approbet illorum consilia, non confirmet eorum potentiam. Fugite Idolatriam, inquit Paulus. Hæc præcepta non sunt leuia ducenda. Vera igitur Ecclesia quærat, sciamus in hac exaudiri preces, in hac sciamus esse Christi membra, ad hanc sciamus pertinere promissiones Euangelij. Non pertinent promissiones ad hostes Euangelij, sicut nec ad Iudeos, nec ad Mahometistas pertinent, ut sæpe testatur Deus, & Psal. 16. inquit Pontifex Christus: Non offeram eorum libationes, nec faciam eorum mentionem labijs meis. Quem hæc tam tristis comminatio non moueat, ut fugiat coetum aduersantem ueræ Ecclesie &

H Deniq;

## DE ECCLESIA.

Deniq; plena est in utramq; partem scriptura diuina talibus concionibus, quæ iubent fugere hostes ueræ doctrinæ & ueræ Ecclesiæ, ac amplecti ueram doctrinam, amare, iuuare, ornare ueram Ecclesiam. Nec cogitemus tantum Platoniam ciuitatem esse Ecclesiam. Hic coetus est uera Ecclesia, in qua lucet pura Euangelij doctrina, in qua recte administrantur Sacramenta diuinitus tradita, In tali coetu necesse est aliqua esse uiua Ecclesiæ membra, quæ præstant Deo ueros cultus, agunt poenitentiam, inuocant Deum uera fide, conferunt studium & operam ad Euangelij propagationem, ostendunt suam confessionem, seruiunt uocationi, deniq; præstant pia officia à Deo mandata, exercentur periculis omnis generis, in quibus exercent inuocationem & alia bona opera. Hanc affirmo esse ueram Ecclesiam, cum qua oportet pios ubiq; terrarum coniunctos esse sententia, uoluntate & confessione. Ac tales esse sentio Dei beneficio, nostras Ecclesias, quæ profitentur puram Euangelij doctrinam, quæ est sine ulla dubitatione, consentiens sententia Catholice Ecclesiæ Christi. Utinam bonæ mentes considerent,

PHILIP. MELANTH.

vent, quantum referat, non esse in castris hostium Ecclesie, sed esse ciuem uerae Ecclesie Christi, propter quam Deus innotescere uoluit, propter quam omnia condidit, quam Filij sui sanguine sanctificauit, in qua patefecit se admirabilibus operibus per patres, Noe, Abraham, Ioseph, Moisen, Dauidem, Eliam, Eliseum, Apostolos, & reliqua lumina Ecclesie, denique quae habebit uitam & gloriam aeternam, fruetur commercio Dei & piorum Angelorum. Quanta gloria & beatitudo est, huius coetus socium esse, in hoc agmine conspici, quod ducit Christus, quod circumuolant pii angeli, in quo incedunt principes Adam, Noe, Abraham, Moises, Elias, & reliqui uiri insignibus praediti donis? In hoc agmine iam certum tenes locum, si non adiuuas, non comprobas hostium Ecclesie impietatem & crudelitatem, sed ueram doctrinam amplecteris, confiteris, & pijs moribus ornas. Psalmus inquit: Rogate pacem Ierusalem. Beati erunt, qui diligunt eam. O suauem & dulcem sententiam. Hortatur omnes, ut adiuuent omnigenere officij Ecclesiam, ut doctrinae puritatem & consensum tucantur, ut doctoribus benefa-

H 2 cient.

## DE ECCLESIA.

ciant, ut precibus & uotis Deo communem salutem commendent, ut impios doctores, ut Tyrannos inde arceant. Opto autem ex animo, ut magnitudinem horum officiorum uiri politici considerent, qui debent & possunt Ecclesiam iuuare. Intueantur posteritatem, cui ut Rempub. constitutam relinquere cupiunt, ita multo magis debent ueram Dei agnitionem, incorruptam religionem, purum Euangelium, recte constitutas Ecclesias tradere, sicut Paulus iubet Timotheum fideliter custodire depositum, ut integrum & incontaminatum ad posteros perueniat. Hac cura prorsus nihil adfici uidemus Pontifices, Episcopos, Canonicos, de opibus suis dimicant, non de doctrina, Ergo alij in scholis, in gubernatione ciuitatum, suscipiant hanc curam. Hoc sacrificium praeipue Deus ab omnibus postulat, sicut Petrus inquit, uocatos nos esse, ut celebremus Dei beneficium. Hic praecipuus finis omnium consiliorum atq; actionum sapientibus propositus esse debet, ut ornent gloriam Christi. Pro hoc officio ingentia praemia pollicetur in hoc uersiculo Deus: Beati erunt, qui diligent Ecclesiam. Defensionem, successus, & salutem

PHILIP. MELANTH.

Et salutem perpetuam promittit his, qui ue-  
ram Ecclesiam amant. Hac uoce pij exuscitent  
animos ad curam ornandae Ecclesiae, seq; non  
modo aduersus tyrannorum minas confirment,  
sed etiam contra Sophisticam illorum mu-  
niant, qui falso antiquitatis & Ecclesiae  
testimonia dogmatum ad defensionem  
impiorum citant, ad quos refutandos  
nonnihil instituere studiosos uolui.

F I N I S.



VITEBERGAE  
Excudebat Iosephus Klug.

Anno M. D. L.

PUBLISHERS: J. B. NEBEL & SONS

THE FIRST OF THESE PUBLICATIONS IS A  
TREATISE ON THE THEORY OF THE  
DIFFERENTIAL CALCULUS, BY  
J. B. NEBEL, M. D., PH. D.,  
OF THE UNIVERSITY OF  
HALL, SACHSEN-ANHALT.  
IT IS THE FIRST OF A SERIES  
OF PUBLICATIONS ON  
DIFFERENTIAL CALCULUS,  
AND IS THE FIRST OF A SERIES  
OF PUBLICATIONS ON  
DIFFERENTIAL CALCULUS.


WITTBERCHE

Excelsior Josephus King


Anno M. D. L.













AB: 154 721


ULB Halle


004 976 932



3


sb.





B.I.G.

Farbkarte #13



# DE ECCLE

SIÆ AVTORITATE,  
& de ueterum scriptis  
Libellus.

Autore  
Philip. Melanth.

VITEBERGAE  
Excudebat Iosephus Klug,  
Anno M. D. L.